ANNALES
INSTITUTI
MEDICO-CLINICI
WIRCEBURGENSIS

REDEGIT ET OBSERVATIONIBUS ILLUSTRAVIT

I. N. THOMANN,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTOR, THERAPIAE GENERALIS PROFESSOR PUBLICUS, PRINCIPALIS NOSOCOMII IULII MEDICUS PRIMARIUS, SCHOLAM MEDICO-CLINICAM DIRIGENS, ATQUE SOCIETATIS MEDICOR. ET CHIRURGOR. PER HELVETIAM CORRESPOND. SODALIS.

VOLUMEN PRIMUM.

CUM V. FIGURIS AERI INCISIS.

WIRCEBURGI

apud Auctorem & in Commissis apud Viduam J. J Stahel & Filium.

1 8 0 0.

D. AUGUSTO GOTTLIEB RICHTER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, AUGUSTISS. REGIS ANGLIAE CONSILIARIO ET ARCHIATRO, MEDIC. PRACT. ET CHIRURG. IN ACADEMIA GOTTING. PROFESSORI PUBL. ORD. ACADEMICI NOSOCOMII ATQUE COLLEGII CHIRURGORUM, QUOD IBIDEM EST, PRAESIDI, PRINCIPATUS GOTTINGENSIS PHYSICO, ACADEMIAE SCIENT. REG. GOTTINGENSIS, SUECICAE, ET SOC ET MED. HAFNIENSIS ET EDINBURGENSIS SODALI

atque

D. IOANNI FRIDERICO BLUMENBACH,

MEDICINAE DOCTORI, EIUSDEMQUE AC HISTORIAE NATURALIS IN ACADEMIA GOTTING. PROFESSORI PUBL. ORD. ET SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM, QUAE IBIDEM FLORET, SODALI,

PRAECEPTORIBUS OLIM SUIS et AMICIS SUMME COLENDIS

Primum hoc volumen

Annalium ſcholae ſuae medico-clinicae

ſacrum eſſe vult

I. N. THOMANN.

PRAEFATIO.

Ex quo ſchola medico-clinica, quae in principali noſtrate Iulii noſocomio floret, a clementiſſimo Principe Georgio Carolo mihi demandata eſt, tanti honoris officiique memor aegrotantium utriusque ſexus, quotquot inſtitutum hoc clinicum meae curae concreditum adirent, nomina morborumque, quibus decumberent, hiſtorias per indices conſignare, graviores morbos obſervationibus illuſtrare, ſummamque laborum annuorum peculiari libro perſcriptam typis mandare, itaque ſingulorum, quae in inſtituto noſtro gererentur, publicam quaſi rationem reddere decrevi.

Trado tibi ergo, benevole Lector, in hoc Annalium inſtituti noſtri medico-clinici volumine primo indicem aegrotantium omnium utriusque ſexus, qui inde a menſe Aprili, ex quo ſcilicet huius ſcholae clinicae Medicus dirigens denominatus ſum, usque ad finem

Decembris elapſi anni 1798 in inſtituto noſtro clinico verſabantur. Uno quaſi intuitu videbis aegrotantium multitudinem, morboſarum adfectionum varietatem, curae noſtrae eventum, et ſimilia. In indice tamen ut in enarrandis morborum hiſtoriis tum demum aegrotantis nomen locumque natalem reticui, ſi, quae ipſi ſuisque aut in opprobrium aut in detrimentum a malevolis verti poſſent, ex morbo vitaeque genere deſcribendo vel pateſcerent, vel, ne ab excordibus et inhumanis coniectarentur, timendum eſſet. Quamquam, qui luem veneream aliumque foedum morbum ut turpis vitae ſequelam patiuntur, iam graves ſane naturae poenas luant, commiſerandique magis, quam contemnendi ſint; officii tamen duxi, cavere, ne nominibus eorum palam denunciatis aegrotantes ab obeundo inſtituto noſtro abſterreantur.

Aegrotantes, qui in inſtituto noſtro curantur, duplicis quidem claſſis ſunt, vel pauperes et egeni utriusque ſexus, gratuita in noſocomio cura fruentes, vel civium mercatorum, artificum et opificum ſocii mercenarii diſcipu-

lique, qui nosocomio curae sumtus compensant. Ast utriusque classis aegrotantes in indice meo haud distincti, sed invicem commixti leguntur, quum institutum clinicum integrum constituant, neque omnes artifices et opifices peculiare, quod ipsis concessum est, institutum participent, atque, debitum numum non solventes, ad alia aegrotis destinata cubicula in nosocomio confugiant. Accedit, quod solventes et insolventes eadem methodo atque cura tractentur, ac quovis anno aegrotantes civium mercatorum, artificum et opificum socii discipulique, ex instituti sui privi sumtibus in nosocomio curati, consignentur peculiari libello, qui typis impressus divulgatur, et cuiusvis aegroti nomen, locum natalem, religionem, aetatis annos, morbosam adfectionem, curae durationem atque eventum indicat. *)

*) Dreyzehente Jahresrechnung über Einnahme und Ausgabe des von Sr. Hochfürstlichen Gnaden Georg Karl, Bischofe zu Würzburg, des H. R. R. Fürsten, auch Herzoge zu Franken &c. gnädigst bestätigten bürgerlichen Kranken-Gesellen-Instituts in Würzburg vom 1ten Januar bis den 31ten Christmonaths 1798 geführt durch Peter Feldhinkel, Bürger und Ober-Werkmeister im Hochfürstlichen Arbeitshause, d. Z. Ober-Cassier.

In fine deſignationis aegrotantium omnium, qui in inſtituto medico-clinico per novem ultimos menſes elapſi anni verſabantur, duxi rationem, qua ſanatorum numerus ſe habuit ad numerum mortuorum; in ea tamen conſiderandum maxime venit, aegrotantes ſub diverſo morbi gradu, immo pleroſque ad interitum fere redactos a me ſuſceptos eſſe, dummodo ſanitatis reſtituendae ſpes ipſis vel minima ſupereſſet.

Obſervationes ac morborum hiſtorias nullo habito ordine retuli, ſed ut cuiusvis menſis vel conſtitutio epidemica vel morborum character et frequentia, aut ſingularitas et gravitas dictitavit. Praemiſi vero ſemper generaliora de morbi cuiusvis indole et curandi methodo, adiunctis quandoque probabilibus, ad quae declaranda et confirmanda dein ipſae morborum hiſtoriae ſequuntur. Inter hos et ſporadici atque chronici occurrent, eundem ordinem tenentes. Rariores ac difficiliores explicandos ſelegi, meamque in iis curandis methodum ſincere atque diligenter expoſui. Omnium, qui occurrebant, morborum hiſtorias

enarrare, et qua in iis curandis methodo uſus ſim, deſcribere, inanis certe opera foret, plurimosque nominaſſe ſufficiet. Intelliges immo ex aegrotantium atque morborum, quibus adflicti fuerunt, indice, non paucos fuiſſe per hunc annum morbos graviores et adtentione digniores in inſtituto clinico noſtro tractatos, quin eorum decurſus atque curandorum methodus commemoretur. Exponetur autem in poſterum, ſi poſt repetitam et magis accuratam, quam nunc obſtantibus variis impedimentis haud facere licuit, obſervationem eosdem morbos curare mihi contigerit, aut ſi de perfecta eorum ſanatione certus fuero. Non raro morbi mox revertunt, qui penitus profligati eſſe videbantur. Quare aegrotantes ex inſtituto nunquam dimitto, niſi quos perfecte ſanatos aut omnino inſanabiles iudicarim, eosque ſolito diutius in noſocomio detineo, ut de eorum ſanatione maximam certitudinem obtineam.

In indicanda generali medendi methodo plura paſſim medicamina denominavi, in uno eodemque morbo adhibenda. Ne, quaeſo,

censores arguti, ut nuper fecerunt, mihi iterum imputent, omnia ea uno eodemque momento coniuncta aegrotis a me fuisse propinata. Medicorum practicorum neminem ego quidem auderem tantae stultitiae reum unquam arguere. Illa medicamina vel separata vel composita, mox aucta mox imminuta dosi, pro vigente morbi gradu ac conditione, exhibita esse, ex historiis ipsis intelliges. In quibus quum memorentur saepius *species pro potu ordinario*, aut *potus ordinarius*; hunc parari scias ex hordeo crudo, radice altheae et parca quantitate radicis liquiritiae, cum sufficiente quantitate aquae decoctis. Praeterea hic notandum venit, *mensuram* vini aut fluidi cuiuscunque habere uncias triginta et duas, atque *cochlear magnum* unciam dimidiam, et *cochleare parvum* drachmam dimidiam.

Aegrotantium in instituto nostro mortuorum cadavera me atque medicis tironibus praesentibus fere semper in publico anatomico theatro a viro expertissimo, D. Prosectore Hesselbach, dissecabantur, ut, nisi sedes ac causas morborum, eorum tamen effectus cog-

nosceremus. Quae dissectis cadaveribus vidimus, diligenter perscrutati sumus, et cum morbi decursu contulimus, morborumque historiis adiuncta plerumque legentur. Partem morbosam, si quam in cadavere invenimus, quae instructioni inserviret, museo pathologico, quod in aedibus anatomicis floret, adservandam dedimus.

Allatis quidem morborum historiis omnibus (unam si exceperis, cuius observandae occasio mihi extra institutum clinicum data fuit,) subiunxi nomina Neo-Medicorum adsistentium, qui eas ex lege scholae clinicae, ut infra *) dicetur, perscripserunt, sed me rectore ac moderatore usi sunt. Historias singulas relegi et emendavi, vel emendandam quamlibet tironi auctori reddidi, monito, in quibus erraverit, aut minus accurate morbi decursum observaverit. Neque si quam morbi descriptionem integram fere retractare coactus essem, eamque pleno iure mihi vendicare possem, Neo-Medici adsistentis nomen omittere volui,

*) Historia et descriptio nosocomii Iulii. §.15.p.LXXVII.

ne alienos labores pro meis ventilare videar, quum ille ſaltem me accurante aegrotantem tractavit, medendi methodum et medicaminum effectus in dies adnotavit, meaque opera adiutus didicit, quanam ratione morborum hiſtoriae rite ſint exponendae. Ad has immo diligentius perſcribendas alios forſan haec nominum adpoſitio impellit. Sincere atque ſine omni fuco morborum hiſtoriae enarrantur, veritatisque teſtes ſunt Neo-Medici omnes, qui ſcholam clinicam obierunt, ingenio ſane et doctrina praeſtantes, partim et omnis inſtituti clinici ratio publica obſervationibus noſtris auctoritatem fidemque conciliat.

Generalioribus meis obſervationibus medicis ad quemvis menſem expoſitis praemiſi ſemper et adnotationes meas de coeli aerisque temperie per eundem menſem variante. Peculiares vero meteorologicas obſervationes, quas poſt deſignationem aegrotantium omnium per indices diligentiſſime perſcriptas atque in tabularum formam redactas vides, viro debemus clariſſimo ac doctiſſimo, D. Ignatio Straſsberger, Seminarii ad S. Kilianum Re-

genti, Phyſicae experimentalis in Academia noſtra Profeſſori publico, qui eas mihi ſumma liberalitate ac humanitate lubenter communicavit. Rationem, qua in obſervandis aeris coelique viciſſitudinibus accuratiſſime verſatus eſt, ipſe verbis hisce exponit: „Obſervatio-„nes hae meteorologicae, barometri nimirum „et thermometri, ſingulis diebus ter inſtitue-„bantur, hora 8va matutina, 2da pomeridia-„na et 9na veſpertina, ex quibus obſervationi-„bus calculo inſtituto ſingulis diebus medius „barometri thermometrique ſtatus eruebatur. „Thermometrum vero mercurio repletum et „Reaumuriana ſcala praeditum, atque defici-„ente loco opportuniore extra feneſtram me-„ridionalem ſuſpenſum adhibebatur. Vento-„rum denique directio partim ex nubium mo-„tu, partim ex anemoſcopio, quantum ſitus „urbis noſtrae undique montibus cinctae pati-„tur, ſat egregie obſervabatur."

Ut denique luculenter exponam, quaenam ſit ſcholae clinicae mihi nunc demandatae ratio, iure legentes exſpectabunt, ipſeque mihi, niſi his ſatisfacerem, meo officio deeſſe viderer.


Quum vero ſchola illa intime coniuncta ſit cum principali noſtrate Iulii noſocomio, in quo nata eſt et adhuc fovetur, et iſtius noſocomii brevem hiſtoriam atque deſcriptionem Annalibus inſtituti clinici, quos perſcribendos primus adgredior, praemittendam exiſtimavi. Quos autem in concinnanda noſocomii hiſtoria ſequi poteram, rerum patriarum ſcriptores nullos equidem novi. Groppii collectiones noviſſimas ſcriptorum et rerum Wirceburgenſium diligenter evolvi; ſed nihil fere, quod in uſus meos convertere poſſem, inveni. Bene et feliciter tamen evenit, ut ex ipſis fontibus haurire mihi liceret. Ad noſocomii tabularium accedere, ibique acta varia typis non impreſſa perluſtrare mihi conceſſum fuit. Multa ſane debeo D. Ioanni Baptiſtae Deppiſch, Conſiliario eccleſiaſtico, eiusdemque noſocomii Parocho et Antiſtiti, libris ſuis homileticis in eruditorum republica celebratiſſimo, qui ea, qua eſt animi in omnes bonarum literarum amantes, liberalitate commentarios ſcriptos in noſocomio adſervatos mihi communicavit. Multa quoque debeo D. Ioanni Andreae

Marx, eiusdem nosocomii Registratori, qui pro singulari in me humanitate acta in tabulario mihi perlegenda suppeditavit. In his vero excerpendis rationem illorum praecipuam habui, quae ad historiam instituti medico-clinici spectant. Cetera ad oeconomiam magis et ad forum medicum non pertinentia vel praeterivi, aut paucissimis verbis adnotavi, quippe quae lectoribus meis taedium adferre, mihi certe ampla praxi medica impedito nimiam otii partem auferre videbantur. Quae tandem collegeram, pro ampla sua rerum notitia multis adhuc auxit amicissimus meus Adamus Michael Köl, Philosophiae atque universalis literarum historiae in Academia nostra Professor. Perfectam nosocomii nostri historiam nemo a me exspectabit: eam qui post me perscribet, maiora praestabit. Ad illustrandam descriptionem nosocomii prospectum quoque adieci, accuratiorem internae structurae delineationem ab Architecto designandam Annalium volumini altero subiuncturus.

Hasce igitur primitias laborum in instituto nostrate clinico susceptorum benigne excipias,

rogo. Opus inchoatum per ſingulos annos proſequi animus eſt, non dubitanti, fore, ut obſervationibus meis iuvenum Medicorum ſtudia non ſolum, ſed et artis medicae incrementa quodammodo adiuventur. Erudita cenſorum iudicia et repetitae obſervationes me docebunt, in quibus forſan erraverim. Memor Hippocratici moniti, vitam brevem, artem longam, tempus praeceps, experimentum periculoſum iudiciumque difficile eſſe, in propriam ſententiam nunquam iurabo, aſt contra opiniones praeiudicatas, experientiae ſanoque ratiocinio repugnantes veritatem amplectar, eamque tranquillo ſemper animo defendam.

Dabam Wirceburgi die 12ma Februarii anni 1799.



HISTORIA ET DESCRIPTIO

NOSOCOMII JULII.

I.

---

§. 1.

Nosocomium, quod vulgo Iulianaeum sive Iuliaeum dicunt, nomen habet a conditore, Principe & Episcopo Wirceburgensi Iulio, ex generosa familia Echterorum de Mespelbrunn oriundo, viro de patria nostra omnique humanitate meritissimo, qui ob multitudinem rerum praeclare gestarum Iulius Magnus nuncupatur, & a nonnullis Iulio Caesari aequiparatur. Regia sane munificentia exstruxit ac dotavit in principali Episcopatus sui civitate & Academiam & Nosocomium. In quibus institutis publicis nescio quid magis admirari oporteat, an beneficam & excelsam Auctoris mentem, an aedium magnificam structuram, redituumque opulentiam. In utroque opere, quo monumentum aere perennius sibi Iulius posuit, non gloriae fama, sed vero religionis amore sinceraque pietate ducebatur, neque alium finem sequebatur, nisi ut literarum studia promoveret, religionem veram conservaret, miseriamque humanam omni modo levaret.

Iulius certe, siquis alius Franconiae Princeps, dignus fuit, qui cognominibus Magni Patriaeque Patris condecoraretur. Tristissimis enim temporibus, anno 1573, aetatis suae 26to, ad principatum pervenit, animis Germanorum ex dissensu circa sacra maxime exacerbatis, multisque praediis, castellis ac monasteriis tumultu agrestium belloque Brandenburgico devastatis atque desolatis. Verum ut terra sua novam Lutheri doctrinam exterminare, antiquam revocare atque confirmare, ita & praediorum

coenobiorumque vel devaſtatorum vel deſolatorum reditus atque utilitates in maius rei publicae & omnis humanitatis emolumentum convertere ſtuduit, quum ex his maxime & Academiam patriam * & ampliſſimum, quod iam deſcriptum eo, Hoſpitium ſive Hoſpitale exſtrui atque ſuſtentari iuberet. Hoc autem tanquam aſylum ſtatuit, quo egeni omnes, non cives modo, ſed & exteri, vel ſenectute, vel morbo, vel alia quacunque miſeria oppreſſi confugere poſſent, auxilium aut certe levamen habituri.

Tanti operis ideam iam diu mente conceperat divus Iulius: de mediis tamen, unde perficeret illud, exſtrueret, exſtructumque conſtanter ſervaret, incertus adhuc deliberavit. Aedificandi tandem initium fecit die 12ma Martii anni 1576 in loco extra moenia ſito ſaluberrimoque tam ob aquam quam ob aërem liberiorem adfluentem. Locus ipſe Iudaeorum hortus (Iudengarten) olim nominatus fuit, quum eo tempore Iudaei in urbe noſtra habitantes ibidem balnearia haberent & ſepulcreta, uſque dum expulſi urbe cum horto, quem olim pro trecentis florenis aureis emerant, perdiderint & beneficia iuraque, quibus tum uſi fuerant. Aedificandi vero ſumtus Princeps de theſauris ſuis propriis ſuppeditavit,** & ad

---

* Academiae Wirceburgenſis hiſtoriam primus perſcripſit Christianus Boenike, hiſtoriarum in eadem Profeſſor, in libro, qui inſcribitur: *Grundriſs einer Geſchichte von der Univerſität zu Würzburg.* II Partes. 1782 — 88. 4to. *Sicilimenta* dein *ad hiſtoriam Univerſitatis Wirceburgenſis & in ſpecie ad Literaturam facultatis iuridicae* collegit venerandus Academiae noſtrae Senior iuriumque Profeſſor Josephus Maria Schneidt Faſciculis III. 1794 — 98. 4to.

** Audire memini ſequentem hiſtoriam, qua probare volunt, ad

conservandum institutum dedit varia dona ex argento, praedia, agros, vineas, villas, amplissimos ac copiosissimos reditus, census & proventus annuos, ita ut vere cum GROPPIO *, patriae nostrae historico, dicere possim: „Non „ego solum, sed alii, qui totam peragrarunt Germaniam, „existimant, paucissimas, si ullas, in ea domus hospitales „inveniri, quae sint hac nostra Iuliana locupletiores.“

Ptochotrophium in singulo fere Episcopatus Wirceburgensis oppido, immo duodecim aut plures aedes in una principali urbe existunt, destinatae vel alendis pauperibus, vel curandis ac sanandis aegrotis aut civibus aut famulis ancillisque. Hoc vero, quod IULIUS exstruxit, regieque dotavit, Hospitium cum quadam excellentia Hospitale maius nuncupatur, atque Ptochodochium est simul & Nosodochium & Xenodochium, perfugium miserorum omnium, cuiuscunque nationis & religionis

---

inchoandum tantum opus casu quodam permotum fuisse *Magnum* IULIUM, reique veritatem documentis in tabulario illustris cuiusdam familiae adservatis comprobari posse contendunt. Principem dicunt sorori nescio an fratriae puerperae dono misisse capsam ad dimidium interius gemmis aliisque rebus pretiosissimis refertam, superstratis sylvestribus pyris, ut mulier maiore perfunderetur voluptate, reperiens abdita preciosa. Puerperam autem, quum capsam vidisset opertam fructibus ne fruendo quidem aptis, nihilque ioci suspicata esset, indignatam donum ei, qui miserat, reddidisse. IULIUM dein, quae pie donasset, in rem piam pro sua religione putasse convertenda, eaque pretiosa efficiendo operi, quod iam diu animo moliebatur, destinasse.

* Collectiones novissimae Scriptorum & rerum Wirceburgensium, Tomo III.

ſint, ſive ſenio & egeſtate, ſive morbo vitioque corporis adfligantur.

Inſtituti ſui rationem claris verbis expoſuit celſiſſimus Auctor in legibus illud concernentibus, quas anno 1579 publice mandavit, praecipiens:

1mo. Recipiantur ſenes vetulaeque, qui vel quae in urbe atque territorio Wirceburgenſi degentes aut verſantes honeſte ſemper laborando victum ſibi comparaverant, aſt nunc deficientibus viribus aut impediente gravi morbo vitioque corporis non amplius valent exantlare labores ad vitam ſuſtentandam neceſſarios. Miſeris eiusmodi omni auxilio deſtitutis in hac domo ſuppeditetur ſuſtentatio quaelibet, nec dimittantur, niſi recuperata ſanitate viribusque reſtauratis laborando victum ſibi adquirere valeant.

2do. Recipiantur & pupilli pupillaeque nati vel natae in urbe atque territorio Wirceburgenſi, aut proles talium parentum, qui honeſte ſemper & probe laborando victum ſibi comparaverant. Pueri puellaeque nonniſi per decem annos in hac domo maneant, alantur & educentur, pueri quidem, uſque dum ſcholis frequentandis vel addiſcendae arti pro ingenio & inclinatione ſeligendae apti, puellae vero, uſque dum ad ſervitia in honeſtis domibus ſubeunda habiles fuerint, vel ipſae monialium vitam amplecti voluerint. Ad teſtandum animum gratum pueri, ſi adoleverint, Principi patriaeque officia ſua praeſtent.

3tio. Pauperes vel in locum ſacrum, vel artis exercendae gratia, vel ex alia honeſta cauſa peregrinantes habeant in hac domo hoſpitium gratuitum & cubile nocturnum, atque cibo potuque refecti altera die dimittantur,

nisi forte quis morbo vitioque corporis non sua culpa contracto a prosequendo itinere fuerit impeditus, qui sub hac conditione ut aeger & debilis retinendus itaque habendus erit, usque dum recuperata sanitate prosequendo itineri par fuerit.

4to. In locum vel mortuorum vel ex cura dimissorum recipiantur semper alii, qui iuxta leges supra statutas beneficio digni fuerint. Nunquam tamen plures in hac domo maneant, quam pro redituum & cubiculorum ratione commode sustentari possint. Miseris non tantum alimenta necessaria praebeantur, sed & commode vivere liceat, ut paucis, qui ipsis supersunt, vitae diebus laetentur. Hinc

5to. Ne vere miseris omnique auxilio destitutis locus praecludatur, nemo unquam vel solvenda pecunia vel inferendis bonis in hac domo locum sibi parare possit, neque commendationis a quocunque venientis ulla habeatur ratio, sed semper ad miseriam & egestatem respiciatur.

6to. Suprema huius Hospitii cura semper sit penes Principem regnantem, qui pauperum Curator a Deo quasi & Ecclesia constitutus est. Ad onus tamen ipsi sublevandum sint

7mo. Administratores & Praefecti domus tres, unus quidem e Canonicis templi cathedralis, alter e clero secundario, sive e Canonicis templi collegiati minoris, & tertius ex civium Senatoribus, viri sinceri, intelligentes laborisque patientes & misericordes, qui omnes egenos senio aut morbo adflictos humane suscipiant.

8vo. Hi tres Administratores & Praefecti parem habeant potestatem & auctoritatem, atque cum consensu Principis constituant a) Patremfamilias sive Magistrum

& Curatorem domus, b) Sacerdotem facris celebrandis idoneum, c) Chirurgum, qui cum adparatu neceffario in domo habitet, & d) Matremfamilias five Magiftram adolefcentulis reique familiari praeficiendam.

9no. Adminiftratores & Praefecti cuncti quovis menfe, aut, fi fieri poteft, per fingulas hebdomades in Hofpitio conveniant, & circumeant infpiciendi gratia, an farta tecta fint, recteque omnia fiant. Emendent, quae emendanda invenerint, & confulant de promovendis domus utilitatibus. Tertio quovis menfe rationes accipiant a Magiftro vel Curatore domus exactiffime reddendas, eaeque cunctae in fine anni extrema ratione abfolvantur.

10mo. Tertio quovis menfe publice praelegatur ordo inftituti, ut ftricte femper obfervetur, atque nunquam immutetur, nifi mutatis forte temporibus & illius mutatio vel emendatio Principibus fuccedentibus fumme neceffaria videatur.

11mo. Collegium canonicorum templi cathedralis & Principes fucceffores per Deum rogantur, inftitutum hoc eiusque bona ne unquam convertant aut converti permittant in alium ufum, fed illud potius augere, & per omne aevum confervare ftudeant. Si quis forfan nova moliatur, perficiat ea in maiorem fui gloriam aliis locis aliisque mediis, dummodo hoc inftitutum pauperibus & miferis dicatum fartum & tectum ab omnique detrimento fincerum integrumque confervetur. Secus qui fecerit, eum certe fequentur poenae omnes, quae ftatutae funt iis, qui pauperes non curant & negligunt. Quicunque proterve inftitutum hoc violaverint; aut, ne violetur, pro viribus non impediverint, in iudicio noviffimo Dei ut diminutores honoris divini pauperumque folatii a conditore Julio accufabuntur.

Et votis optimi Principis ſucceſſores fere omnes ſatis fecerunt; quod in inſtituto mutarunt, certe pro neceſſitate & ex conditoris ipſius mente emendarunt, atque bona huic miſerorum aſylo propria ita auxerunt, ut ad eius utilitatem rei publicae magis accomodandam ius habere viderentur. Haec Iulii domus licet Xenodocheum eſſe deſineret, quum peregrinantes nulli hodie recipiantur, niſi forte in morbum inciderint, & curae ſolvendae impares fuerint; Ptochotrophium tamen & Noſocomium adhuc eſt. Quin immo unum Noſocomii nomen inſtituto huic rectius convenire, & iure tribuendum eſſe videtur, quum ex ipſis conſtitutionis literis modo allatis pateat, praecipue in eo alendos & omni ex parte ſuſtentandos eſſe homines ſenio corporisque imbecillitate aut morbo vitioque corporis adflictos.

Numerus autem miſerorum recipiendorum initio fuit ducentorum, nulla tamen lege definitus, ſed pro ratione redituum vel augendus vel minuendus. Unde facile intelliges, nullam eſſe miſeriae humanae ſpeciem, cuius non aliquot exempla habuerit, habeat, aut habiturum ſit hoc Noſocomium. Immo vero, quos alii homines fere deſerunt, fugiunt & abominantur, eos domus haec ſuſcipit, fovet ac conſolatur.

Iulius ipſe ſaepius inviſit hoc novum ſuum Noſocomium, & inter pauperes miſeroſque animum labore ac ſtudio pro patriae ſalute labefactatum recreavit, ſummamque ſemper operis ſui curam atque directionem ſibi vendicavit. Certe nec una dies occidit, qua non ultro citroque nuncii & literae in Noſocomium ex arce & hinc illuc commeaverint, mandata vel reſponſa ferentes, quibus ipſe praecepit, qui ſupplices ſuſcipiendi, qui ablegandi, qui certo tempore, qui perpetuo retinendi & alendi, quomodo tum omnes communiter, tum privatim etiam ſinguli habendi & tractandi eſſent. Praeter Chirurgum, qui

in Nosocomio habitavit, designaverat & Medicum, qui aegrotis in eo versantibus administraret, iisque medicinas, remedia, delinimenta atque fomenta infirmorum non solum liberaliter tribui, sed etiam semper ibidem abundare, eorumque copiam in promtu & paratam haberi iussit. Generaliorum, quas Nosocomio suo praescripserat, legum interpres optimus Auctor ipse fuit, adeoque confisus est Antistitum prudentiae & religioni, ut minime dubitaret, suae voluntati, quam in literis constitutionis lucidissime declaraverat, satis semper factum iri ab iis, qui munus administrandae piae pauperum ac miserorum rei susciperent. Triumviris, quos Nosocomio praefecerat, annuum salarium non constitutum fuit, sed eos ex collegio Canonicorum & Senatorum elegisse videtur, ut, dum lubenter & ex misericordia hoc munere fungerentur, sua merita de re publica confirmarent augerentque.

§. 2.

Vix autem Nosocomii Conditor vita excesserat anno 1617 die 13tia Septembris, quum eius successori IOANNI GODEFRIDO ab ASCHHAUSEN necessariae viderentur leges magis speciales, quibus in hoc instituto ad iustum omnia redigerentur ordinem. Princeps hic iam anno 1620 die 21ma Iulii collegium virorum constituit, qui religiose & strenue de optima cognoscerent ratione Nosocomii magis perficiendi rectiusque disponendi. Praescriptus est ordo domestici cultus divini funerumque celebrandorum. Parochum Nosocomii in Missis legendis, decantandis Sacris pomeridianis & in celebrandis aliis actibus ecclesiasticis adiuvabant tres Vicarii templi collegiati ad divum Ioannem in Haugis dicti. Statuta est Nosocomii incolis vitae regula. Praefectis atque ministris praeceptum fuit non solum, qua ratione tractare pauperes & aegrotos debeant, sed etiam ut in conclavi scriptorio

conveniant quotidie horis certis matutinis, confulturi de omnibus, quae concernunt oeconomiam, culinam, cellam vinariam', victum & potum, amictum, munditiem, quietem atque omnem Nofocomii ordinem. Adminiftratori domus adfociabatur Antigrapharius, cui & hoc officium iniunctum fuit, ut apographa & tabularii exftruendi initia faceret. Cancelliftae nondum fuerant conftituti. Ad rem domefticam minoribus fumtibus fuftentandam peculiares recepti funt opifices, qui in domo habitarent, vietor, piftor, molitor, hortulanus, lanius, aliique. Numerus pauperum & aegrotantium recipiendorum, alendorum & curandorum definitus eft ita, ut fint fenes 59, vetulae 76, infantes 18, 21 aegrotantes, atque 19 officiales, inter quos & promus condus, famuli famulaeque. Coquus habuit duas ancillas adiutrices, & de cibis male praeparatis iam tum querelae frequentes movebantur. Interdictum eft parocho domus, ne fua fponte reciperet aegros aut fenes vetulasque, fed eos tantum, quibus datae effent fchedae Principis manu fubfcriptae, diligenter adfervandae & peculiari libro inferendae. Confirmata eft lex iam a divo Julio lata, ut fenibus vetulisque per totum, quod ipfis reliquum eft, vitae curriculum conceffum fit auxiliis ftipendiisque frui in hoc Hofpitio gratuito, infantes vero adultiores, quum valeant ipfi fuo profpicere victui, & aegrotantes, fi fanati fuerint, illud derelinquant, & aliis egenis miferisque opem defiderantibus locum faciant. Senibus atque vetulis hoc beneficio perpetuo fruituris nomen theotiscum datur *Pfründner* vel *Pfründnerinn*, & ab his diftinguuntur aegrotantes curandi vel fanandi, quos vernacula lingua *Curiften* adpellamus. Senes vetulaeque, fi bene valerent, pro viribus hofpitii oeconomiam adiuvare, cubicula everrere & munda fervare, ligna exftruere, de colo nere, aegris adminiftrare debuerunt.

Idem Princeps Joannes Godefridus lege fanxit, ut aegrotantes opem in nofocomio quaerentes adferant

ſcriptum a Medico vel Chirurgo teſtimonium de veritate morbi & de probabilitate ſanationis, ne curam omnem eluſuri & inſanabiles locum praecludant aliis, qui eadem cura fruituri ſanitatem recuperare poſſent. Sanatos igitur ſtatim dimitti iuſſit, eos vero, quibus praeter ſpem ac opinionem remediis omnibus fruſtra adhibitis ſanitas non reſtituitur, per omnem vitam in noſocomio ſuſtentari, niſi ſanitatem impoſterum forte fortuna nacti ablegari poſſent. Praeterea ſuſceptos ad curam voluit parere legibus inſtituti, recteque medicaminibus ad ſanitatem citius atque tutius reſtaurandam praeſcriptis uti, pertinaces autem, inobedientes ac ordinem turbantes amandari, licet adhuc aegrotarent.

Interdictum porro fuit, ne quis inſcio praefecto vel aegrotantes vel perpetuos noſocomii incolas adeat, aut iis veſtimenta, cibos & potabilia adferat, neque ipſis extra noſocomii muros deambulare licuit, niſi conceſſerit Antiſtes.

Chirurgo, qui Magiſtri nomine inſignitus fuit, in noſocomii aedibus habitanti non licuit peregre abire, vel in urbe artem ſuam exercere, niſi ſpecialem a Principe veniam impetraverit. Quare iam tum, ut ſocium ſibi adſumeret, conceſſum fuit, & Medicus alter adiunctus eſt priori, ut, ſi alterutrum negotia impedirent ab officio rite obeundo, collegam in vicem ſuam ſubſtitueret. Medicorum autem officium in eo poſitum fuit, ut aegris diligenter adminiſtrarent, morbum ſollicite inquirerent, cito tuteque profligarent, aegrotantes inviſerent per hyemem hora octava, per aeſtatem hora ſeptima matutina, & ad eos, qui in vitae periculo verſarentur, hora quoque tertia pomeridiana redirent.

Doctor Georgius Wassermann, domus eo tempore Medicus egregiae probitatis & ſcientiae, Principi

visitanti varia, quae in nosocomio desiderarentur, proposuit, nimirum siphyliticos ab aliis aegrotis separandos esse, & in peculiaria cubicula deferendos, quum adeo in peculiaribus aedibus antea curati essent, scilicet in nosocomiis siphyliticorum, quae adpellabantur *die Franzosenhäuser*; dein tantae aegrotantium multitudini plures famulos esse necessarios, quum famula una triginta aegrotos recte curare minime posset; desiderari quoque balneare, quo scabiosi & leprosi soli uterentur, & denique medicaminum officinam in ipso nosocomio in maximum huius & aegrotantium emolumentum erigendam esse.

Ex his iam patet, medicaminum officinam eo tempore nullam in Julii nosocomio fuisse, sed pharmaceuticam fecerunt vetulae duae, quarum una, in dignoscendis herbis versata, pro diverso anni tempore iuxta praefectorum & Medicorum praecepta varias herbarum species in sylvis aliisque locis colligere, collectas adservare atque conservare, & a praepositis ac medicis praescriptas aegris distribuere debuit. Vocabatur haec mulier herbaria (*Kraüterfrau*). Alterius vetulae, quae lingua vernacula *die Brennfrau* dicebatur, officium proposcit, aquas ex herbis destillare, omnisque tunc salus posita esse videtur in aquis ex vario herbarum genere paratis, quae permixtae aegris exhibitae sunt. Ad absolvendam morborum curam veteres balneis utebantur vel simplicibus ex aqua tepida, vel artificialibus, quae ex variis herbarum decoctis parata fuerunt. Et balneariis praefuit mulier, dicta balneatrix (*die Badefrau*).

Praeter herbarum & aquarum destillatarum curam atque balnea tum in usu fuit cura sic dicta lignorum (*die Holz-Cur* vel *Franzosen Cur*), praecipue in morbis a labe siphylitica ortis aut in lue ipsa, quam non a contagio per contactum immediatum, sed ex aeris miasmate derivare videbantur. Decocta variorum lignorum, ligni

quaiaci, ligni fancti &c. curam abfolverunt. Peculiaris legitur norma literis perfcripta circa ligna rite praeparanda iuftumque curae plenariae ufum, cui diaeta & regimen obfervandum additur. In ufu pifcium, olerum, fructuum diaeta maxime verfabatur. Inchoavit a purgatione omnis cura. In conclavi calefacto & ita claufo, ut undique aeris acceffus impediretur, aegrotans fudorem prorumpentem promovere atque confervare, continuoque per fedecim dies inter dictam diaetam decoctum lignorum ore haurire debuit. Purgatio dein repetita fuit, eademque cura continuata per viginti alios dies, quibus elapfis aeger denuo purgabatur. Viribus tunc forfan deficientibus, verum morbo adhuc vigente, aegrotanti hora meridiana duo cochlearia magna paffularum minorum quotidie porrigebantur, ne profufis fudoribus exhauriretur, fed maiorem corporis vigorem nancifceretur.

In eodem morbo fiphylitico adhibebatur quoque variorum fuffituum cura (*die Rauch-Cur*), cuius adminiftrandae modus hic fuit. Suffitus parabantur e variis fuffimentis, praecipue vero iuxta hanc formulam:

℞. Cinabris Uncias tres.
Olibani
Marianae aa. Unciam unam.
Ladani Drachm. duas
Carbonum e tiliae ligno paratorum & pulverifatorum Uncias duas.
M. D.

Medicaminum ita mixtorum drachmae tres cuilibet aegro porrigebantur ad fuffimentum unum. Ille dein immittebatur labro linteis in arcus extenfis undique tecto, in cuius fundo pofitum fuit thuribulum carbonibus candentibus impletum, quibus pulveris drachmae tres infpergebantur. Inter haec fuffimenta, quorum fex vel feptem ad curam requirebantur, aeger linteo bene tectus

corpus fricare, ac os saepius aperire debuit, quo facilius suffitus omnes corporis partes penetrare possent. Quem in finem & ancillae suffimenta administranti praeceptum fuit, confabulari cum aegrotante, sed ita, ut simul caveret, ne ipsa suffitu tangeretur, illumque inspiraret, quum veteres eum tam noxium sanis, quam proficuum aegris putarent.

§. 3.

Anno 1623 Princeps PHILIPPUS ADOLPHUS de EHRENBERG omnia, quae antecessores in nosocomio statuerant, confirmavit, atque praefectis, ministris, famulis & opificibus pro munere suo ac labore primus annua stipendia constituit, quae hucusque vel minus iusto ordine vel omnino non persoluta fuerant. IdemPrinceps praescripsit quoque victus aegris ac imbecillibus quotidie praebendi hanc rationem. *Die dominica* ad prandium iusculum carnis & caro iurulenta, ad coenam iusculum ex oryza seu hordeo paratum & caro assata; *die Lunae* ad prandium iusculum carnis & portio carnis cuiusdam, ad coenam iusculum ex oryza seu hordeo confectum, vel pruna passa cocta, seu legumina & caro iurulenta; *die Martis* & *Mercurii* ut die lunae; *die Jovis* ad prandium eadem ciborum conditio, ut die lunae, ad coenam vero caro assata; *die Veneris* iusculum & semipisces, ad vesperam iusculum ex hordeo paratum ac ova sorbilia vel legumina, & *die Sabbathi* ad prandium & ad vesperam iusculum ex avena paratum, poma passa cocta & laganum in sartagine coctum, quod *Pfannkuchen* dicimus.

Neque postmodum ulla secuta est in Nosocomio rerum mutatio, nisi quod triste illud Suecicum bellum toti patriae & huic instituto divi JULII maximum detrimentum adportaret. Praedia ruraque devastabantur, census atque reditus imminuebantur, & augebantur miseri, qui

nosocomii opem implorarent. Eo fere res redactae fuerant, ut portae huius omnium miserorum asyli per aliquot tempus clauderentur. Ast omnia mox in melius vertebantur, quum ad principatum perveniret JOANNES PHILIPPUS a SCHOENBORN, qui ab anno 1642 usque ad annum 1673 regnavit, suique memoriam multis praeclare gestis immortalem reddidit, & praecipue, quod erexit Orphanotrophium, atque JULII Nosocomium ad florem evexit maiorem. Hoc nullo sane tempore rem suam ita auxit, ut eo ipso tempore, quo ex aere alieno maxime laboraverat. Qui tum oeconomiam Nosocomii curavit, fundos & agros venales pace composita coemit, & licet has versura solveret, atque maius aes alienum conflare videretur, mox tamen docuit, quid unius viri intelligentis & strenui probitas efficere valeat. Post aliquot lustra iam aes alienum fuit dissolutum, & opes Nosocomii adquisitis novis praediis tantae, quantae numquam antea, fuerant.

Ceterum in Nosocomio statuta observabantur, quin novi quid adderetur. Fiducia tamen, quam in herbarum & aquarum ex iis destillatarum virtutibus Medici & aegrotantes posuerant, collabi & evanescere coepit: immo Medici praeiudicatas opiniones evellere, & abusus varios abolere conati esse videntur. Praeter venae sectiones atque cucurbitulas, aquas ex herbis destillatas, herbarum infusa & decocta, balnea, suffitus, quae ut plurimum a mulieribus in ipso Nosocomio parabantur, iam alia quoque medicamina circa annum 1670 a medicis ordinata fuere, quae tamen, usque dum anno 1680 medicaminum officina in ipso Nosocomio exstructa esset, ex pharmacopoliis in urbe florentibus arcessebantur, aegrisque in eo versantibus porrigebantur.

§. 4.

Anno 1686 regnante GODEFRIDO de GUTTENBERG Nosocomium severam expertum est inquisitionem, quum

varia peccata domus eiusdem praepositis & ministris imputata, multaeque querelae de iniusta oeconomiae administratione deferrentur. Princeps hic, quamprimum susceperat imperium, Iulii Nosocomium, cui iam anno 1683 concesserat libertatem nundinalem, non conservare solum, sed & amplificare studuit, atque dein perceptis illis gravaminibus disquisitionem accurate & strenue prosecutus est. Qua finita in iustum ordinem omnia restituit, leges ab antecessoribus datas confirmavit, multa in domus & eius incolarum emolumentum emendavit, & praefectis atque ministris officia rite ac diligenter implenda commendavit. Cultus divini novum praescripsit ordinem, & ad sacra rite celebranda Parocho sive Antistiti ecclesiastico socium adiunxit, quem Sacellanum nuncupamus seu Capellanum. Consilio & auspicio suo sublevavit oeconomiam, quae pessum ire coeperat, omnibus, quae ad eam spectant, in optimum ordinem distributis. Nosocomio concessit immunitatem ab omni vectigali frumentario & vinario anno 1698, atque anno 1696 exstruxit noscocomii sumtibus ergastulum in eius vicinia situm cum pannificina, & emergens inde lucrum in pauperum commoda converti iussit. Agris vineisque meliorem culturam adhiberi, expensarum ac redituum, culinae, cellae, penariae, linteorum, vestimentorum & supellectilium rationes quovis anno solvi & expediri; omnia denique ad victum & salutem necessaria, cibaria, aromata & medicamina iusto tempore a viris peritis emi iussit. Interdixit quoque, ne nosocomii incolae vinum aliaque, quae ipsis ad commode vivendum porrigerentur, neve ipsi praefecti & ministri frumenta, legumina pomaque ex horto nosocomii venderent, atque senes ac vetulas non tumultuarie recipi, sed pauperrimos tantum ac miserrimos hoc beneficio frui voluit. Praecipue vero mandavit, ut ecclesiasticus Nosocomii Praefectus & unus e profanis, duo Medici, Chirurgus, Pharmacopola, rei

culinariae Magister & Antigrapharius hora decima matutina quotidie invisant aegros, praefecti invigilent, ut aegris procurentur omnia, quae Medici optimâ conscientia ordinaverint, atque hora tertia pomeridiana duo Medici cum Pharmacopola redeant ad aegrotantium lectos, ut de medicaminum effectibus rectius iudicare possint.

Idem GODEFRIEDUS Nosocomii quoque hortum colendis variis herbis adaptavit, primaque horti botanici initia dirigente Doctore BEHRINGER fecit anno 1695.

§. 5.

Anno 1704 quum aedificium Nosocomii posticum igne devastatum esset, Princeps JOANNES PHILIPPUS a GREIFENKLAU eodem in loco novum exstruxit, quod 552 pedes longum & 54 latum magnitudine ac splendore longe superavit illud flammis absumtum, atque aegrotantium saluti maiorique numero recipiendorum accommodatum fuit. Aedificandi sumtus 61819 florenorum summam effecerunt, omnique iure hic Princeps Noscomii Tutor et Amplificator adpellatur. In aedificiis Nosocomii lateralibus ad occidentem vergentibus adsignavit varia cubicula curandis iis, qui morbo contagioso & epidemico infecti essent. Miseros omnes, qui subito in morbum gravem inciderent, aut in plateis invenirentur adfectione morbosa detenti auxiliisque destituti, in peculiare Nosocomii cubiculum portari, curaeque Medicorum & Chirurgi tradi iussit. Senum denique beneficio perpetuo fruentium aeque ac aegrotantium utrumque sexum, horumque diversa genera, ut vesanos, epilepticos, &c. a se invicem separavit. Famulos famulasque aegrotantibus administrantes sano ac robusto corporis habitu gaudere, humane pieque sentire, & artis legendorum

manuſcriptorum non expertes eſſe voluit, ut aegrotanti cuilibet praeſcripta medicamina iuxta ſignaturam porrigere ſciant, neque ancipites unquam in aegrotantium detrimentum ea permutent. Ipſis famulis autem bene meritis aut ſenio aut morbo adflictis conceſſit per reliquae vitae periodum quietam & gratuitam ex omni parte ſuſtentationem in eodem Noſocomio.

Ampliatis aedibus & aegrotantium & ſenum vetularumque numerus ampliatus. eſt. Augebantur officia eorumque miniſtri, & ne tantae ſenum atque aegrotantium turbae religionis deeſſent ſolatia, Parocho ſecundus adiungebatur Sacellanus ſive Capellanus.

Et hic Princeps Noſocomium gravi ſubiicere inquiſitioni coactus fuit. Quae Praeceſſores eius optime ſtatuerant, mox neglecta aut non iuſte obſervata fuere. Repetiit illa, ſevereque inculcavit praefectis & miniſtris, atque praecepit, ut Pharmacopola domeſticus medicaminum optimae indolis iuſto pretio emendorum gratia quovis anno Francofurtum ad Moenum peteret, atque Parochus, duo Curatores, Secretarius & Regiſtrator per ſingulas hebdomadas duabus vicibus in peculiari cubiculo ſenatum haberent, de omnibus, quae ad Noſocomii iura & oeconomiam pertinent, conſulturi.

§. 6.

Ab anno tandem 1719 uſque ad 1724 regnante Ioanne Philippo Francisco de Schoenborn in meliorem formam redactus eſt hortus botanicus a tergo noſocomii ſitus. Sex fere millia rariorum plantarum herbarumque ſalubrium in eo reperiebantur, itaque diſpoſitus fuit, ut non ſolum amoenam ſalutiferamque ambulationem iis, qui in noſocomio verſabantur, ſed & rei medicae atque botanicae ſtudioſis cognitiones utiliſſimas

praeberet. Horti vero colendi fumtus & a Nofocomio & ab Academia aequabiliter fuftentandi erant.

Idem Princeps artem medicam multis modis adiuvare ftuduit. Ordinariis Medicinae Profefforibus non largiora folum annua falaria, fed honores etiam confiliariorum tribuit, atque primus de exftruendo theatro anatomico cogitavit. Huic fini accomodari iuffit domum ob aquas profluentes aptiffimam, quae in horto ad latus dextrum verfus orientem fita deliciis olim ac quieti deambulantium infervierat.

Aft mors avocavit IOANNEM PHILIPPUM FRANCISCUM ab inceptis, quum non nifi per quinque annos principatum tenuerat. Inchoatum theatrum anatomicum dein abfolvi curavit Succeffor CHRISTOPHORUS FRANCISCUS de HUTTEN, & aedificandi fumtus effecerunt fummam decies mille florenorum.

§. 7.

Iam quarto regni fui anno 1734 Princeps FRIDERICUS CAROLUS de SCHOENBORN, rebus praeclare geftis celebratiffimus & frater JOANNIS PHILIPPI FRANCISCI fupra laudati digniffimus, viros denominaverat quosdam, qui eius aufpicio atque confilio Academiam refingerent, maioremque illi fplendorem atque utilitatem conciliarent, quosdam vero, qui omnem Nofocomii rationem disquirerent, atque pro neceffitate reformarent & emendarent. Quantopere egregius ifte Princeps univerfa literarum ftudia adiuverit, quas leges, quam docendi difcendique normam praefcripferit, exponere huius loci non eft, immo actum agerem laborem, quum ea vulgata fatis & nota, fufiusque perfcripta funt libris peculiaribus. *

* BOENICKE l. c. T. II p. 36 fqq. & SCHNEIDT l. c. Epocha IV, p. 93. & Epocha V, p. 167 fqq.

Quae autem nova ſtatuebantur in noſocomio, mei muneris eſt, hic commemorare.

Ac primo quidem, excepto piſtore & molitore, dimiſſi ſunt opifices omnes, quibus hucuſque iubente IOANNE GODEFRIEDO in ipſis noſocomii aedibus habitatio conceſſa fuerat, pactaque mercede opifices in urbe habitantes opera in noſocomio efficienda ſuſceperunt. Evenit non raro, ut in numero egenorum ob vitia corporis receptorum eſſent quandoque ſartores, ſutores & ſutrices, quibus id officii datum fuit, ut ad adiuvandam pro viribus oeconomiam noſocomii incolarum calceos & veſtes ſarcirent. Praeſcripta eſt una eademque victus & diaetae ratio cunctis atque ſingulis perpetuo noſocomii beneficio fruituris, pro diverſo ſexu diverſae tabulae adſidentibus, & ſevere interdictum eſt, ne uni alterive peculiares & exquiſitiores cibi porrigerentur. Agrotantibus tantummodo ex Medicorum praeceptis peculiari victus atque diaetae ratione uti conceſſum fuit. Ut aegrotantium cubicula pura magis & munda conſervari poſſent, ea non amplificari ſolum, ſed & ultra duodecim viros totidemque feminas non recipi Princeps iuſſit, ſub una tamen exceptione, ſi quis egenus omnino gravi detentus morbo curae ſumtibus impar eſſet, atque brevi ſanitatem in noſocomio recuperare poſſet.

Et veſanis iam ab initio in univerſo hoc miſerorum aſylo locus fuerat; ſed ut plures recipi poſſent, ſex cubicula nova, quae *Blockhäuſer* vocabantur, exſtructa ſunt, atque vernaculum nomen ipſe indicat, teterrima fuiſſe illa habitacula triſtiſſimamque veſanorum curandorum rationem. Catenis onuſti & alligati codicibus, ſpeluncis omni luce orbatis incluſi iacebant miſeri in terra ſtramine tecta, itaque non raro verberibus, eſuria & frigore cruciabantur, ut eorum eiulatus animos praetereuntium commoveret, & qui dementes nondum fuerant,

hac tractandi methodo amentes fieri debuerunt. Veſani pauperes, quorum ſanatio haud exſpectanda fuit, in numerum miſerorum perpetuo noſocomii beneficio fruentium referendos eſſe decrevit, ut alii veſani, de quorum ſanatione non deſperandum eſſet, ad curam admitti poſſent. Acceſſum quoque conceſſit veſanis opulentioribus ſub hac conditione, ut a ceteris ſeparati & in cubiculis privis curarentur, curaeque ſumtus, victum, medicamina &c. noſocomio compenſarent.

Ne vero in admittendis aegris & ſenibus egenis fraus atque fallacia committeretur, territorii Wirceburgenſis oppidorum, pagorum villarumque praefecti atque parochi teſtari debuerunt de ſupplicantium paupertate, vitae ratione ac miſeria. Teſtimoniis hisce ſupplicantis nomen exhibebatur, eius aetas, locus natalis, vitae genus, ratio facultatum, quas vel adhuc habet vel olim habuit, ratio, qua ad paupertatem redactus eſt, morbi ſtatus, &c. Ut iuxta antiqua ſtatuta a noſocomio arcerentur omnes, qui morbo contagioſo aut inſanabili aut ceteris aegrotis faſtidioſo, lue ſyphilitica, cancro &c. adfecti eſſent, ſevere mandatum eſt, atque graves poenae ſtatutae ſunt iis, qui falſa teſtarentur vel pecunia ſollicitati vel arte veritatem ſimulantes.

Qui iam perpetuo noſocomii beneficio fruebantur, numero quinquaginta plures fuerunt, quam anno 1696, & ne numerus eorum indies adhuc creſcens excederet redituum ac proventuum rationem, hanc accuratius computandam praeſcripſit, numerumque puerorum & puellarum, quibus educatio atque ſuſtentatio in hac domo impertiebatur, ad duas tertias reduxit. Ex eo tempore nonniſi pueri ſex totidemque puellae in noſocomio iuxta Iulii conditoris mentem in literis conſtitutionis expreſſam educabantur, quum eſſet Orphanotrophium peculiare iam

anno 1639 a proavo Principe IOANNE PHILIPPO de SCHOENBORN exſtructum, atque nunc a FRIDERICO CAROLO anno 1743 inſtauratum. * Hic vero pro pueris puellisque in Orphanotrophium ablegatis in IULII Noſocomio ſuſtentari iuſſit duodecim adoleſcentes pauperes, qui literis egregie muſicaeque operam navarent, & quorum duo ſemper eſſent in quavis ſex inferiorum Gymnaſii claſſium, atque dimitterentur abſoluto primo philoſophiae curſu, ubi vel clericorum vel monachorum regulas ſequi, aut docendo vitam ſuſtentare poterant. Iam multo prius quidem prima initia hoc ſtudioſorum inſtitutum in noſocomio feciſſe videtur, quum inter eos, qui noſocomii beneficio fruebantur, fuiſſe dicant quendam SEBASTIANUM SCHRAMM ob oculorum vitium ex Ieſuitarum ordine, aliosque ob alia corporis vitia ex aliis monachorum ordinibus dimiſſos, qui animi cauſa pueros in noſocomio degentes elementa linguae latinae docerent. Aſt hoc ſtudioſorum inſtitutum lege demum a Principe FRIDERICO CAROLO data ſancitum eſt, iique gratis praeter victum & veſtitutum atque libros omni tum in literis quum in muſica inſtitutione privata fruebantur, ſcholasque gymnaſii publicas obire debebant, atque etiam diebus feſtis aedem aulicam frequentare, ibique concinendo ſymphoniam adaugere. In locum eorum, qui abſoluto primo philoſophiae curriculo noſocomium reliquerant, alii iuvenes recipiebantur, qui paupertatis, morum ingeniique praeſtantiae teſtimonium atque ſpecimen rigoroſo examine probatum dederant. Tanta ſemper fuit huius inſtituti gloria, ut eo ipſo alumnus quivis cuilibet commendatus eſſet. **

Idem

* Nachricht von dem armen Waiſenhauſe in Würzburg. 1778.

** Würzburger wöchentliche Anzeigen von gelehrten und andern gemeinnützigen Gegenſtänden. 1798. Nro. 85. pag. 6 ſqq.

Idem Princeps FRIDERICUS CAROLUS variis rationibus IULII Nosocomium cum Academia quasi consociare studuit. Primus enim praecepit collegium clinicum in illo quotidie habendum, practicamque in re medica institutionem Candidatis impertiendam. Ad diiudicandam huius collegii clinici rationem iuvabit audire SCHEIDLERUM scriptorem coaevum. * „Tam nobili praxeos ex„ercitio, ait, clementissimus Princeps magnum Hospitale „Iulianaeum in palaestram dedit. Huius legibus ex pi„entissimi fundatoris IULII Episcopi Wirceburgensis pa„terna sollicitudine statutum est, ut Medici duo, qui „aegrorum pauperum magno numero, nullo non tempo„re ibidem decumbentium, aut ex urbe curationis gra„tuitae causa illuc translatorum curam ex officio gerunt, „accedant quotidie singulos, de statu morborum cognos„cant, nulla sumtuum ratione habita, necessaria ordi„nent, eorumque valetudini & solatio omnem scientiam „artemque suam, charitatis christianae studio animatam, „pro viribus impendant. Hos ex gratiosissima celsissimi „Maecenatis nostri voluntate indies comitari, Doctorum „suorum consilia & sententiam avidis haurire auribus, „praescriptas formulas ac ipsa pharmaca inspicere, eo„rundem effectus observare, in dubiis consulere, placi„dum miseros solandi & refocillandi modum addiscere, „Candidatis indultum est. Haec prima quidem, sed „praeclara praxeos rudimenta sunt, quae dum in ipso „tirocinio solerti adtentione, adsiduo nosocomii accessu, „praestita ad nutum & exemplum Doctorum suorum in„firmis ope & opera ponit neo-medicus, maioribus ani„mis,

* Idea studii medici, quam designat & exhibet, collegia insuper & lectiones suas de chymia & materia medica insinuat IOANNES VALENTINUS SCHEIDLER, Philos. & Medicinae Doctor, praesidii militaris Medicus. 4to. pag. 21 sq.

„mis, ſucceſſu meliore arenam mortuariam & periculo-„ſam cum morbis luctam ſuo tempore ingreditur, non „lacrymali aegrorum ſub novitia eius cura celeri fato „defunctorum ſtrage & repletis coemeteriis infamis, ac „inter mille familiarum, ſuorum praematura ſunera de-„plorantinm, diras letali taxo notandus, horrori futurus „omnibus, ſed ob ſervatos & ab ipſo mortis veſtibulo „revocatos cives quampIurimos inter communes adplau-„ſus corona civica donatus ſexcentas ad aram ſcientiae „artisque ſuae gratae remunerationis victimas & oblata „ſoteria laetus excipiet.“

Fridericus Carolus obſtetricibus quoque ſcholam primus aperuit, atque chirurgiae ſtudii in patria promovendi cauſa Laurentium Heisterum promiſſis, quae & Principe & Chirurgo tum celebratiſſimo digna eſſent, ad academiam noſtram, fruſtra quidem, invitavit. * Hortum botanicum anno 1744 atque theatrum anatomicum anno 1745 ampliari & exornari, atque illius quidem colendi ſumtus ab Academia & Noſocomio aequalibus partibus ſuſtentari iuſſit, conſervandi vero theatri anatomici totum onus fere Noſocomio impoſuit ita, ut Academia quotannis quinquaginta florenos conferat, & publico Anatomiae Profeſſori ſtipendium annuum perſolvat. Quae fuerit theatri anatomici ſtructura, quae docendae anatomiae atque chirurgiae ratio, eleganter ſatis exponit Scheidlerus, ſcriptor coaevus. ** „Theatrum „anatomicum,“ ait, „non in cella aut crypta, more ve-„terum, ſubterranea, ſed plena in luce eleganti forma „& opere erectum eſt. In medio horti botanici prae-„alta nec exigua mole adſurgit domus ſub triplici tecto &

* Boernicke l. c. T. II p. 104.

** l. c. pag. 10. ſqq.

„& fornice in totidem cameras diviſa, ex ſolido lapide ad „architectonicae hodiernae regulas magnifice exſtructa, „Regiam Florae & Charitum diceres, vel imperitus „nonnemo & ſubtimidus, ubi oſſeas cadaverum reliquias „intus conſpexerit, Parcarum & Proſerpinae domicilium. „Portarum media aulam ingredientibus peramplam ape„rit, compoſitis ex ficto marmore columnis ex omni la„tere ſuſtentatam, nemorum, fontium, ventorumque Ge„niis & Encarpis tum pictoriae tum gypſo-plaſticae ar„tis induſtria undique exornatam. Hic pegma ſublime „eminet excipiendis, quae anatomico examini ſubiicien„tur, cadaveribus accommodum. Diſpoſita in circum „gradatim adſurgunt ſubſellia eruditae ſpectatorum cu„rioſitati opportuna, nihilque praetermiſſum, quod vel „ad munditiem vel decorem, immo ad pompam avidus „diſcendi & ſciendi oculus poſſet deſiderare, adeo, ut „ſqualidi & in ſecandis, excoriandis, exenterandis, divi„dendis, inſpiciendis humanis corporibus nauſeabundi la„boris ac ſpectaculi horrorem ipſe loci ſitus & amoe„nitas temperet & abſtergat.“

„Ibi igitur,“ pergit Scheidlerus, „continuis per „hyemem menſibus & praefixis in hebdomada dierum & „horarum intervallis in ſubiectis, quae nunquam defi„ciunt, rite praeparatis ſingulae anatomiae partes, myo„logia, angiologia, neurologia, ſplanchnologia, inter „aeſtivos vero calores oſteologia in ſceletis hunc ad „finem nitore eburneo perpolitis, ſingulorum oſſium no„menclatura (quod & de nervis, venis, glandulis, muſ„culis, cuticulis aliisque ad compagem totius corporis „ſpectantibus dictum volo,) coniunctio, forma, uſus, „munia oſtenduntur. Neque in oſſibus haeret & ſiſtitur „induſtrius anatomiae labor. Novum idque pretioſum „vicina theatro anatomico camera ſpectaculum obiicit, „corpora nimirum, ſalva carnium, venarum totiusque

„compagis integritate conſervata, Aegyptiorum mumiis „aemula. In his venae, arteriae aliaque vaſa variorum „diſtincti coloris liquorum infuſione oppleta, quae vena- „rum & arteriarum per molem corporis expanſarum „ramos, gyros & flexus ad truncum uſque, unde pro- „ceſſerunt, ſanguinis quoque circuitum, totiusque humani „corporis liquido hoc elemento, quod in ſtomacho ex- „coqui coeptum eſt, ſuſtentationem palam commonſtrant. „Quae omnia ſequenti ratione peraguntur. Praemiſſa „ſingulis demonſtrationibus a chirurgiae & anatomiae „Profeſſore de praeſentis operationis argumento ad cir- „cumſtantium & adſidentium coronam oratione demon- „ſtrationem ipſam pimarius Hoſpitalis Iulianaei Chirurgus „& anatomiae Praeſes adgreditur, incidentibus, ſi quae „moveantur, dubiis & interrogationibus reſpondet, quum- „que praeſtitutum in illum diem opus finierit, actum ipſum „abſolvit. Huc quoque accedunt ea, quae vulnera, „laeſiones, ulcera, fiſtulas, fractiones, contuſiones, dis- „locatioues partium concernunt, quorum & ſimilium „medendi artem in collegiis academicis chirurgiae Pro- „feſſor edocet, laudatus vero Chirurgus primarius faſcias „chirurgicas praeparandi, conficiendi, aptandi, ob- & „circumligandi artificioſam & optimam ex pluribus me- „thodum non oretenus ſolum explicat, ſed adhibita etiam „manu in praxi oſtendit.“

Ex hisce patet quoque, munera duo quum Profes- soris anatomiae & chirurgiae tum Chirurgi primarii atque anatomiae Praeſidis ſive Demonſtratoris nondum in uno viro fuiſſe coniuncta, ſed ab anatomiae & chirurgiae Profeſſore plane diverſum fuiſſe noſocomii Chirurgum primarium & anatomiae praeſidem ſive Demonſtratorem, qui vulgo *Operator* (francogallico idiomate *Operateur*) dictus, atque *Chirurgi primarii* nomine inſignitus fuit prop- ter ea, quod duos ſocios habuit a noſocomio ſuſtentatos in eoque habitantes.

§. 8.

Principes succedentes nihil fere, quod a me notandum esset, in hoc nosocomio mutarunt, nisi quod CAROLUS PHILIPPUS a GREIFENKLAU iussit Professori Chymiae experimenta in laboratorio chymico nosocomii instituenda, omnes nosocomii immunitates praecipue operis pistorii confirmavit, atque regulam constituit, nosocomium esse heredem suorum incolarum (wer lebet im Spital, den erbet das Spital).

§. 9.

Quod non successerat votis Magni FRIDERICI CAROLI, ut adliciendo ad Academiam HEISTERO studio chirurgiae inter mechanicas artes contemtae in patria nostra dignitatem suam redderet, iam optime successit eius nepoti ADAMO FRIDERICO de SEINSHEIM, Principi humanissimo atque de promovenda scientiarum cultura meritissimo, qui Bambergae & Wirceburgi principatum ab anno 1755 usque ad annum 1779 tenuit. Bello, quod per septem annos Austriam inter & Borussiam in Germania flagravit, cum primario copiarum Saxonicarum apud exercitum Gallicum tum stipendia auxiliaria merentium chirurgo LA GENIE die 13tia Ianuarii 1760 ad urbem nostram pervenit CAROLUS CASPARUS SIEBOLD, Niedecae in Ducatu Iuliacensi die 4ta Novembris 1736 natus, patre eius loci senatore atque chirurgo non incelebri. Hic in nosocomio nostro aegrotis Saxonibus tum referto SIEBOLD chirurgiam exercere perrexit, atque mox 1ma Augusti eiusdem anni Gallorum stipendiis valedicens in primarium laborum anatomicorum & chirurgicorum socium a CHRISTOPHORO STANG nosocomii tunc Chirurgo primario adlectus fuit. Pace tandem composita, suppeditatis ab Academia nostra sumtibus 12 Augusti 1763

abiit ad exteras celebriores ſcholas, ut in anatomia, chirurgia operativa & arte obſtetricia ſub manuductione maximorum his in artibus virorum Pariſiis, Londini atque Lugduni Batavorum ſe magis magisque perficeret. * Quam parum artes illae tum apud nos cultae fuerint, ex eo iam colligere licet, quod iuſſu Principis a noſocomio ſuppeditabantur clariſſimo SIEBOLD 750 floreni, quibus Pariſiis atque Londini inſtrumenta chirurgica maxime neceſſaria emeret. Die tandem 4ta Martii 1766 ex itinere redux omnem, quam patria noſtra de eo conceperat, ſpem explevit. Ab anatomicis cognitionibus ſatis inſtructus chirurgiam, quam dicunt operativam, & artem obſtetriciam exercuit dexterrime, &, ſiquam curam audacius ſuſcepiſſe videretur, feliciſſime fere ſemper abſolvit, atque omnium non civium ſolum, ſed & exterorum admirationem & aeſtimationem ſibi ſuaeque arti conciliavit. In eo ſane patria noſtra virum adquiſierat, cuius paucos pares Germania, nullos provinciae vicinae eo tempore tulerunt. SIEBOLD primus eſt, cui disiuncta antea ambo munera Profeſſoris anatomiae & chirurgiae atque Chirurgi primarii & Demonſtratoris in noſocomio ſimul collata ſunt. Primus ipſe in noſocomio clinicas inſtitutiones chirurgicas aperuit, ibique univerſam chirurgiam quum medicam tum operativam exercuit. Primus quoque iuſtam ſtudii anatomici & chirurgici ideam propoſuit, eamque practice omni fervore atque induſtria efficere ſtuduit. Ex ſchola eius theoretico-practica, quae

* CAROLI CASPARI SIEBOLD Diſſertatio inauguralis ſiſtens faſciculum obſervationum medico-chirurgicarum. Wirceburgi 1769. 4to. pagg. 58 ſqq. BOENICKE l. c. Tom. II. pagg. 178 ſqq. BOCK's Sammlung von Bildniſſen Gelehrter und Künſtler nebſt kurzen Biographien derſelben. 21tes Häft, oder 2ten Bandes 9tes Häft. Nürnberg 1798.

in nosocomio adhuc floret, Chirurgi perfecti prodierunt per omnes fere Germaniae provincias dissipati, inter quos sufficit nominasse WEIDMANNUM Moguntiae, HARTENKEILIUM Salisburgi, RÖSCHIUM Bambergae, CLOSSIUM Tübingae defunctum, HARDEGGUM Stuttgardiae, & amicissimum mihi BRÜNNINGHAUSEN Wirceburgi. Sic ex nosocomio nostro multum emolumenti nón in patriam solum redundavit, sed in omnem Germaniam & in universum fere genus humanum indefesso labore & studio unius viri, cuius meritis de arte sua, quam amplificare & ornare pergit, invidia & obtrectatio nihil unquam detrahent.

Eodem fere tempore Medici soli sine nosocomii praefectis aegrotantium lectos adire, hosque ita inter se distribuere coeperunt, ut Medicus primarius curaret tantummodo aegrotos, qui recuperata sanitate nosocomium derelinquere debent, alter vero sive Medicus secundarius eos, qui perpetuo nosocomii beneficio fruentes aegrotant. Medicus primarius simul etiam Medicinae publicus in Academia Professor fuit, atque scholam clinicam in aegrotantium cubiculis habuit, & quidem inde ab anno 1769 MENOLPHUS WILHELM, Medicus practicus eo tempore celebratissimus. Huius vero medicae scholae clinicae ratio non multum diversa fuit ab ea, quae supra sub finem §. 7. SCHEIDLERI verbis descripta est.

Ne reciperentur in nosocomium morbo contagioso foedoque laborantes, iam olim interdictum fuit, quare syphiliticis & epilepticis gratuito illo hospitio frui non licuit. Anno tandem 1773 die 22da Maii novum erigitur in urbe nostra institutum, in quo pauperes & miseri epilepsia cruciati curantur, ac omni ex parte sustentantur, usque dum vel perfecte vel palliative sanati dimitti possint. Existit illud in domo peculiari a nosocomio separata, huic vero versus orientem finitima, quae olim

Ganzhorniorum familiae fuit. Iubente Principe ADAMO FRIDERICO ea cum horto adiacente pro quater millibus florenorum coemta eſt, quam ſummam pro rata parte contulerunt ptochotrophia omnia, quae vel in urbe vel in oppidis provincialibus exiſtunt. Iam antea & IULIANA GEHRIG, uxor Adminiſtratoris redituum ad ordinem equeſtrem Iohanneum in urbe noſtra pertinentium, legarat ter millia florenorum, quibus inſtitutum tale perficeretur. Accommodabantur ergo ſeptemdecim cubicula miſeris eiusmodi epilepticis, culina, cubiculum domus curatori, coenaculum, Oratorium, & aliqua cubicula famulis & famulabus, linteisque & veſtimentis atque utenſilibus adſervandis deſtinata. Statutum eſt, ut

1mo. nunquam plures quam octo viri vel feminae morbo epileptico laborantes gratuita cura & ſuſtentatione in hac domo fruantur, uſque dum ad ſuſtentandos ſumtus uberior fons adſuerit.

2do. Quatuor tantummodo perſonae ſint, quae domum adminiſtrent, & aegris opem ferant.

3tio. Haec domus Epilepticorum ſemper reſpiciatur ut mera extenſio & adpertinens IULII noſocomii, quod igitur ſuppeditare debet omnia, quaecunque ad illam ſuſtentandam & eius incolas alendos, veſtiendos & curandos requiruntur, atque noſocomii Medicus & Epilepticis opem ſuam ſubminiſtrare debet, quaſi in ipſo IULII noſocomio decumberent.

4to. Nulli in domum Epilepticorum recipi poſſunt, niſi immediati Principatus Wirceburgenſis ſubditi, atque ceteris paribus praeferendi ſunt nati in oppidis provincialibus Arnſtein, Aub, Detelbach, Geldersheim, Geroldshofen, Hartheim, Haſsfurth, Ipphofen, Karlſtadt, Kitzingen, Königshofen in arvis, Lauda, Mellerichſtadt,

Münnerſtadt, Neuſtadt ad Salam, Rothenfels, Röttingen, Volkach, quippe quorum ptochotrophia, ut ſupra dictum eſt, ad emendam & perficiendam hanc Epilepticorum domum pro rata parte contribuerunt.

5to. Opulentioribus quoque morbo epileptico gravatis in hanc domum acceſſus pateat, ſed ita, ut ſupernumerarii illis octo pauperibus accenſeantur, atque ſufficientes huic domui donent opes, quibus per omnem vitam ſuſtentari poſſint.

6to. Etiam circa ſacra pertineat Epilepticorum domus ad Iulii noſocomium. Si vero noctu, clauſis noſocomii portis, vocandus eſſet ſacerdos, parochus Haugenſis, cuius eccleſiae haec domus olim contributa fuit, ſacra debet adminiſtrare, ne noſocomii quies turbetur. Quotidianam vero Miſſam in Epilepticorum domo dicat, atque diebus dominicis & feſtis explicet evangelia monachus ex ordine Capucinorum, quibus ideo conceditur uſusfructus pecuniae a typographo aulico Engmann ipſis anno 1765 legatae, quam alioquin ex ordinis ſui regulis accipere non potuerunt. Vinum & cereum ad Miſſam dicendam noſocomium ſuppeditare debet. Neceſſariam ſuppellectilem eccleſiaſticam donavit Adamus Fridericus ex aede aulica principali.

Circa idem fere tempus domum, quae dicitur Eliſabethae (das Eliſabethen-Haus), ita inſtitutam eſſe ferunt, ut pauperes mulierculae ſyphilide aut lue venerea adfectae in ea curarentur, iisque a Iulii noſocomio victus atque medicamina ſuppeditarentur. De cuius inſtituti ratione univerſa quum adhuc nihil certi comperire potui, paucis id ſufficiat commemoraſſe.

Ceterum Adamus Fridericus & confirmavit & amplificavit inſtitutum illud pauperum iuvenum, qui, ut

literis operam navent, in nosocomio sustentantur. Orphanotrophium inprimis auxit, atque in illud puellas hucusque in nosocomio educatas puerosque pupillos ingenii dotibus, quae ad literarum studia requiruntur, haud praeditos transferri iussit, quare nosocomium quoque ad sustentandum Orphanotrophium portiones duodecim quotannis contribuere debet.* Ex eo tempore recipiebantur in nosocomium pueri tantummodo pauperes, qui optimo ad literarum studia ingenio praediti iudicabantur. Iam vero in hoc instituto literario non solum triginta fere studiosi, qui sex inferiores Gymnasii scholas obirent, atque domi private etiam vel a Capellano in philosophia, vel a duobus praeceptoribus domesticis in literis humanioribus atque grammaticis instituerentur, sed & duodecim, plures paucioresque pueri fuerunt, *Principistae* nominati, qui a domestico ludimagistro primis linguae latinae principiis imbuerentur, dein ad Gymnasii scholas adscensuri.

§. 10.

Ab anno 1779 usque ad annum 1795 principatum tenuit FRANCISCUS LUDOVICUS ab ERTHAL, cuius pietatem ac iustitiam odit improbus quisque, & venerabantur omnes boni cives. Qua sapientia, quam indefesso labore hic Princeps salutem publicam promovere, omnem rei scholasticae rationem emendare, veram humani generis culturam & religionem adiuvare, pauperumque miseriam sublevare conatus sit, in gratissima omnium memoria manebit, eiusque laudes non per Franconicas solum, sed per omnes Germaniae provincias exterasque terras celebratae sunt. Quum iam ab initio regni sui publicam

* Nachricht von dem armen Waisenhause zu Würzburg. 1778. pag. 18. Erste Fortsetzung derselben. 1779. pag. 8. 9.

pauperibus curam confecraffet, eam dein peculiari cuidam collegio virorum proborum & intelligentium commendavit, aliosque conftituit, qui de vero ftatu nofocomiorum & ptochotrophiorum tam in urbe principali quam in fingulis oppidis exiftentium cognofcerent, eorum reditus, oeconomiam & adminiftrationem difquirerent, adminiftratoribus officia fua inculcarent, omnia in iuftum ordinem redigerent, & caverent, ne, qui ptochodochiis praeeffent, ulterius piam pauperum rem fraudarent, aut comiffationibus dilapidarent, quas antea in ipfis ptochotrophiis celebrare non puduit. Praecipue vero nofocomium Iulii, proavi fui, reformavit in omnibus partibus, antiqua ftatuta definite magis repetiit, vel etiam nova addidit, aedificiumque totum, quantum effet, in maiorem eius incolarum falutem ac commoditatem amplificavit atque condecoravit. Aedificii pars antica binaque latera orientem & occidentem fpectantia diruebantur, & nova altioraque a fundamentis exftruebantur, penitusque interna poftici aedificii ftructura refingebatur adeo, ut univerfi iam nofocomii Reftaurator Franciscus Ludovicus iure praedicari poffit. Sub eius aufpicio & confilio nunc omnia in hac domo ordine alio & fere inverfo difpofita funt: quae olim in aedificio poftico fuerant, iam in antico reperiuntur, & quae in hoc prius locum fuum habuerant, in illud transponebantur, quin impenfae laborique parceretur. Sunt quidem, quibus univerfa haec rerum mutatio non omni ex parte probetur, putantibus, aegrotis olim in pofticis aedibus aeri liberiori expofitis & profpectu in hortum botanicum amoenioribus melius confultum fuiffe, quam in antico aedificio verfus urbem fpectante, in quo nunc verfantur, profpectu non nifi in impluvium liberori aëris folisque radiorum acceffu deftitutum fruentes; immo habitationem in antico aedificio fuiffe olim magis falubrem, quum ad dextram & finiftram fupra contignationem primam perfractum

quasi aut incisum esset, & in utroque loco meatus non tectos sive subdialia haberet, per quae aeri solique plenus accessus patuit. Solem nullum omnino, neque orientem neque occidentem aegrotantium cubiculis adfulgere, ut perquam molestum mihi fateri, ita & periucundum est sperare, Principes succedentes nihil omissuros esse, quod ad constitutionem nosocomii magis in dies perficiendam desiderari possit. In exstruendo toto aedificio antico laudanda certe fuit FRANCISCI LUDOVICI ratio haec, ut plura amplioraque cubicula fierent, quibus aegri quam plurimi reciperentur, atque ut Parochus cum duobus Capellanis, administri Medicis & Chirurgo primario subordinati, famulaeque curatrices cum aegris ipsis sub uno tecto cohabitarent, hisque suam opem, si desideraretur, celerrime praestare possent. Immortalis Princeps iam tum cogitaverat de aegrotantibus egenis omnibus, praecipue vero ancillis atque mercatorum & opificum sociis discipulisque in nosocomium recipiendis, ut meliorem in eo curam nanciscerentur, quam quae ipsis in heri vel magistri aedibus obtingere solet.

Iam anno 1785 civis nostras, Iosephus Heidenreich, * artifex pilearius aulicus initia fecerat instituti huius, in quo aegrotantes mercatorum, artificum & opificum socii discipulique curantur, & quod lingua vernacula der kranken Gesellen Institut vocatur. Tota eius ratio, a Principe FRANCISCO LUDOVICO adprobata & confirmata, haec fere est. Aegrotans quivis civium mercatorum, artificum & opificum socius mercenarius vel discipulus in IULII Nosocomio gratuito

---

* Würzburger wöchentliche Anzeigen von gelehrten und andern gemeinnützigen Gegenständen. 1798. pag. 175. Cf. Krünitz ökonomisch-technologische Encyklopädie, T. XLVII. pagg. 481 sqq. s. v. Krankenhaus.

curatur quidem a Medico & Chirurgo primario, curae sumtus tamen a civibus instituti administratoribus nosocomio compensantur, quod cubile, victum, praescripta medicamina praebet, atque famulas curatrices sustentat. Neque tamen nisi viginti quinque numi cruciati solvuntur pro quovis aegroto per singulum diem, quem in nosocomio vixit. Huius beneficii particeps est omnis socius discipulusque mercatorum, artificum & opificum, qui, cuiuscunque nationis & religionis sit, 1mo. sanus ad urbem nostram pervenit, & iam per quatuordecim dies in ea commoratur, atque 2do. per singulas hebdomades, quas in urbe nostra vivit, numum cruciatum unum magistro suo exsolvit. Mercatores, artificum & opificum diversae classes ex collegio suo civem unum, quotannis fere alium eligunt, quem *Deputatum* adpellant, & cui magistri eiusdem collegii collectos singulos numos cruciatos tradunt. Omnes vero *Deputati* legunt sibi supremum quendam *aerarii Tribunum*, qui pecunias a quovis Deputato collectas accipit & expendit, tabulasque accepti & expensi conficit, atque publice quovis anno rationes a Deputatis subscriptas typisque impressas reddit. Cives ergo sunt, qui hoc institutum administrant, in eoque conservando & adiuvando gratuitam operam navant. In recipiendis aegrotis vero ne ulla fraus committi possit, magister collegii sui Deputato nomen aegrotantis socii discipulive indicare debet. Deputatus autem aegro schedulam propria manu subscriptam exhibet, atque testatur, eum ex legibus instituti recipi posse. Aegrotus dein cum hoc testimonio in nosocomium defertur, ubi constituta hora supremus aerarii Tribunus cum Medico & Chirurgo convenit, qui, si vere aegrotantem iudicarint, eum ad curam recipiunt, sanatumque dimittunt. Aegris Augustanae confessioni addictis arcessitur in periculo mortis sacerdos suae religionis ex oppido vicino, mortuis vero commune est cum aliis coemete-

rium.* Eorum, qui in nosocomio moriuntur, vestimenta publica auctione venduntur, & pecunia pro iis accepta aerario instituti obvenit. Quandoque & sanati opulentiores sponte grato animo curae sumtus restituunt; sunt immo, qui plus quam debitum numum cruciatum solvant. His aliisque rationibus sors instituti per tredecim annos tandem aucta est adeo, ut aliquot centeni floreni quovis fere anno solutis expensis remaneant. Fuerunt hoc anno aegrotantes socii mercenarii discipulique centum & quadraginta septem, e quibus mortuus est unus ex phthisi.

Eadem cura & ancillas aegrotantes complecti voluit optimus Princeps: ast variae difficultates perficiendo huic instituto moram adtulerunt, easque favente fortuna removebit dignissimus Successor. Quum tamen FRANCISCUS LUDOVICUS numerum aegrotantium in nosocomium recipiendorum non definivit, sed Medico atque Chirurgo permisit, tot ad curam adsumere, quot commode atque secure in cubiculis destinatis curari possunt; ancillae quoque graviori morbo laborantes semper recipiuntur, numeroque pauperum adscribuntur, singulis fere diebus ad nosocomium gratuitae curationis ergo confugientium, ut ex adiecta aegrotantium per novem huius anni menses ibi curatorum designatione patebit.

FRANCISCO LUDOVICO saluberrima quoque praecepta debemus, quibus Medicorum & Chirurgi in nosocomio labores aegrotantiumque cura multum adiuvantur. Ab initio quidem pro aegrotantium diverso sexu viris famulos feminisque famulas administrare voluit: mox vero statuit, ut aegrotis omnibus feminae curatrices tribuerentur, quippe quae prae viris maiore corporis agilitate ac

* Würzburger wöchentliche Anzeigen l. c.

habilitate gaudent, aptioresque ſunt conficiendis variis praeparatis, infuſis, decoctis. Eae tamen innuptae aut viduae, atque non infra quadraginta quinque nec ultra quinquaginta duos annos natae, pii bonique animi eſſe debent. Aegrotantibus duodecim tribuitur famula una: amentes feminas autem famulae duae, virosque veſanos duo viri curant. Immo dementibus illis, qui ab aliis ſegregati in peculiaribus cubiculis degunt, curaeque ſumtus noſocomio compenſant, famulus alius invigilat. Famulae omnes dormiunt in eodem aegrotantium cubiculo, & urgente neceſſitate, ſi plures requirantur famulae, ſociae proximae ſuccurrere, auxiliumque praeſtare debent. Earum officium eſt, aegrotantibus diu noctuque invigilare, veſtes, victum potumque & medicamenta omnia ex Medici vel Chirurgi praeceptis adminiſtrare, lectos ſternere, munditiem conſervare in cubiculis & utenſilibus, latrinas & laſana lavare, quieti proſpicere, turbas ac inviſentium multitudinem amovere, cavere, ne aegris ſupportentur cibaria & potacula, per ventilatores aerem purgare, ſupellectilia lintea & aegrotantium veſtimenta integra ſartaque conſervare, & denique, ſi quid gravius accideret aegrotanti, Medico indicare, aut etiam inſtante vitae periculo Parochum aut Capellanum advocare, ut ſacra mature ſatis adminiſtrentur.

Chirurgo primario iam olim adiuncti fuere ſocii in ipſo noſocomio habitantes, atque Franciscus Ludovicus demum & Medico primario tribuit adminiſtrum in re medica verſatum, quem A d s i s t e n t e m nominamus. Hic quoque, omnis aegrotantium famulitii quaſi Praefectus, in noſocomio habitat, atque ſalario victuque ſuſtentatur, ut, abſente Medico ordinario, omni diligentia & pietate aegris famulisque curatricibus invigilet, atque munditiei & quieti proſpiciat. Eius officium eſt, in peculiari libro de die in diem ſcriptura perſequi, quae

Medicus ordinarius cuilibet aegrotanti praescripsit, aegrotantes saepius per diem invisere, morborum mutationes, quas vel ipse observavit, vel a famula relatas accepit, adnotare, & Medico ordinario tradere, medicaminum praescriptum usum curare, eorumque effectum observare, in fine cuiusvis mensis omnium aegrotantium nomen, locum natalem, morbum, receptionis aut dimissionis diem, eventumque curae per indices describere, atque Medico primario scholam clinicam dirigenti committere.

Rectam vero medicae scholae clinicae rationem primus constituit amicissimus mihi collega nimis matura morte defunctus GEORGIUS CHRISTOPHORUS SIEBOLD, filius CAROLI CASPARI natu maximus, qui & ideam eiusdem scholae & leges anno 1795 duobus libellis exposuit, primusque fuit, cui scholam clinicam dirigenti & in locum primarii Medici evecto postmodum etiam cura aegrotantium opificum sociorum demandabatur. * Priusquam sapientissimus Princeps omnem nosocomii rationem ex integro restituerat, pauperes aegrotantes non ex urbe solum, sed ex vicis etiam oppidisque vicinis tumultuarie singulis diebus in nosocomio confluxerunt, sibi suisque, quorum morbi statum confuse satis enarrabant, a Medico primario medicamina petentes.

---

* De instituti clinici ratione ad tirones sermo academicus, Wirceburgi. 4to. et: Vorläufige Nachricht von der gegenwärtigen Einrichtung des Klinikums an dem Iulius-Hospitale zu Würzburg unter Aufsicht des Professors SIEBOLD des jüngeren. Nebst einigen allgemeinen Bemerkungen über Spitäler und klinische Anstalten in akademischer Hinsicht. ibidem 8.

Quae hic praevio examine in tanta turba paucis quaestionibus abſoluto praeſcripſit, noſocomii pharmacopaeus gratis porrigere debuit. Hanc pravam medicaminum diſtribuendorum medendique conſuetudinem, quae magnos ſane noſocomio ſumtus, aegrotis vero parum auxilii adtulit, Franciscus Ludovicus interdixit, atque pauperum aegrotantium ſaluti melius conſuluit eo, quod per varias urbis partes medicos & chirurgos conſtitueret, qui gratuitam pauperum curam haberent, atque medicaminum praeſcriptorum ex officina quadam urbis gratuito porrigendorum ſumtus ab univerſali pauperum inſtituto ſolvi iuberet.

Nihilo tamen minus aegrotantes omnes curae ſumtibus ſolvendis impares, ſanabiles lueque venerea non adfecti ad curam in noſocomium recipiuntur, ſive in urbe aut territorio Wirceburgenſi degant, ſive peregrinantes ex aliis terris advenae ſint, quos in urbe noſtra morbus ſubito deprehendit. Quum tamen cubilium aegrotis in noſocomio curandis deſtinatorum numerus eſt definitus, nemo recipitur, niſi lectus vacuus adfuerit, morbique vehementia non urgeat adeo, ut a regula diſcedatur. Concurrentibus pluribus ad curam adſpirantibus primum locum obtinent, qui in urbe aut territorio Wirceburgenſi degunt, vel qui graviori morbo laborant, & quibus ex alia lege in aliis aedibus auxilia medica non competunt. Recipiuntur ergo & ii, qui ita dicto univerſali pauperum inſtituto adſcripti ſunt, ſi graviori morbo laboraverint. Quicunque autem in Iulii noſocomium recipi voluerint, adferant, neceſſe eſt, teſtimonium paupertatis ſuae vel a Parocho vel a Praefecto urbis oppidive ſcriptum, atque, prout morbus vel internus vel externus indicatus fuerit, examini ſe ſubiiciant inſtituendo ab Adsistentibus, quos vocamus, in noſocomio habitantibus, primarioque Medico & Chirurgo ſubordinatis. Explorandum in primis

est, an, qui ad curam suscipi petierint, malo venereo aut insanabili adfligantur, quum & antiquis & recentioribus legibus syphilitici atque insanabiles a nosocomio Iulii arceantur. In diiudicando vero morbi statu siquid dubitent examinantes illi Adsistentes, Medicus aut Chirurgus primarius examen repetunt, suaque manu semper in eodem de supplicantis paupertate testimonio adscribunt, quem ex legibus ad curam recipiendum existimarint. Traditur dein hoc duplex de paupertate & morbo testimonium in eadem schedula scriptum nosocomii Praefectorum Concilio, quod per Secretarium aegrotantis receptionem subscribit. Illis vero non congregatis, & solus Parochus nosocomii Antistes suo nomine subscripto receptionem aegroti confirmat. Hic dein, cubile vacuum si suppetat, aut morbi gravitas urgeat, statim ad nosocomium accedere, aut in lectica adportari potest. Accidit tamen non raro, ob adfluentem aegrotantium multitudinem, ut iis, quibus receptio iam a Medico & a nosocomii Praefectis confirmata est, unum pluresve dies in urbe cunctandum sit, usque dum in nosocomio cubile vacuum fuerit. Recepto autem aegroto Medicus vel Chirurgus adsistens in nosocomio habitans lectum convenientem, omni munditie praeparatum, linteis bene lotis ac puris obductum adsignat. Quotiescunque enim aeger vel mortuus vel e cura dimissus fuerit, omnia, quibus usus est, supellectilia, lectus, vestimenta, stragula, lodix, madula, lasanum, & reliqua lavantur, fumigantur, aerique liberiori conceduntur. Neo-admissus, morbo non contraindicante, balneo immergitur, propriis, quae secum ducit, vestimentis omnibus exutus, & squalore deterso vestibus aliis, quas nosocomium paratas atque in promtu habet, induitur. Aegrotantis vero propria vestimenta, quae in nosocomium adportat, purgantur, lavantur, distinctaque servantur, e curaque dimisso redduntur. Si mortuus in nosocomio

fuerit, hoc retinet ex hereditate omnia, quaecunque ille fecum adportaverat.

Quod duas reliquas pauperum in nofocomio fuftentandorum claffes adtinet, fenum nempe ac vetularum, iuvenumque literis operam navantium, Franciscus Ludovicus eorum recipiendorum normam non folum, fed & veftiendorum atque nutriendorum rationem variis edictis fapientiffime praefcripfit. Anno 1792 die 29na Aprilis univerfali pauperum inftituto in ordinem redacto, atque conftituto collegio virorum, quibus publica pauperum cura demandata eft, legem quoque peculiarem promulgavit, qua cavere voluit, ne nifi pauperrimi miferrimique perpetuo nofocomii beneficio fruantur. Lex vero patrio fermone publicata haec eft:

„Quum publica pauperum omnium in territorio „noftro degentium cura & peculiaris ratio habetur, at„que inftituta omnia, quae in una civitate fuftentandis „pauperibus deftinata funt, ad eundem finem fe invicem „coniungere & adiuvare debeant, ut folidum quoddam „perfectum & conftans efficiatur; neceffe eft, folitum huc„ufque modum docendae & adteftandae dignitatis pau„perum, qui perpetuum in Iulii nofocomio beneficium „adpetunt, ita mutare, ut publico noftro pauperum cu„randorum inftituto magis conveniat. Praecipimus igi„tur, ut

„I. pauperes, qui petunt, vel digni videntur, ut in „Iulii nofocomium recipiantur, per indices confignen„tur, & quidem in urbe noftra principali a fupremo „pauperum curandorum collegio adhibitis Deputationi„bus five delectis civibus per urbis partes conftitutis, „ruri autem a localibus pauperum curandorum colle„giis.

„II. Consignatorum pauperum plena & definita de-„scriptio ab iisdem collegiis conficiatur, a quibusdam „membris supremi pauperum curandorum collegii in ur-„be principali & ruri a collegio pauperum curandorum „locali, i. e. a parochis cunctisque civibus deputatis sub-„scribatur, atque hebdomade ad minimum tertia ante „diem recipiendis pauperibus constitutam, quae sit, ut „olim, dies lunae ante festum Pentecostes, una cum in-„dice atque literis legaliter gratuitoque dandis, diem & „locum natalem testantibus, Iulii nosocomii Praefectis „tradatur, & quidem in urbe principali immediate a su-„premo pauperum curandorum collegio, a collegiis lo-„calibus rusticanis vero mediate per satrapas & prae-„fecturae administratores.

„III. In pauperibus plene describendis ad has prae-„cipue quaestiones respiciendum ac definite & religiose „respondendum est, scilicet

„1) Quodnam supplicanti nomen, & praesens do-„micilium sit?

„2) Quot annos natum testentur literae nativitatis?

„3) Indigena sit, an alienigena? Et si alienigena „fuerit, quamdiu in territorio Wirceburgensi commore-„tur, ubi, & sub qua conditione?

„4) Quemnam victum exercuerit, ex illo tempore, „quo vel matrimonium iniit, vel virilem aetatem adti-„git, usque ad hoc tempus?

„5) Num vitam semper religiosam & honestam vi-„xerit, vel quandoque dissolutam & intemperantem?

„6) Nonne animi sit inquieti atque litigiosi?

„7) An caelebs, coniux aut viduus sit?

„8) Num omnibus omnino facultatibus mobilibus „immobilibusque destitutus sit, aut quantae ipsi adhuc „superfint, aut aliunde exspectandae sint?

„9) An nunquam habuerit facultates vitae pro di„gnitate sustentandae sufficientes, vel an eas forsan de„sidia, vita delicata, immoderatis potationibus in caupo„nis, lusione, aliisque illicitis modis praemature prode„gerit?

„10) Nonne facultates suas, siquas habuit unquam, „liberis suis seu adfinibus iusto maturius cesserit sub ea „conditione, ut illum per vitam sustentarent, vel eum in „finem, ut eo facilius in nosocomium quoddam aut pto„chotrophium reciperetur?

„11) Num omnino nullum quaestum vel manuum „opera vel alio licito modo facere valeat?

„12) An & ex quo tempore universali pauperum „instituto adscriptus sit, & quaenam ab hoc eleemosyna „ipsi per singulas hebdomades tribuatur?

„13) Nonne & aliunde adiumenti quid capiat?

„14) Quaenam sit eius domicilii & habitationis con„ditio, praecipue per hyemem?

„15) Quaenam ipsi aegrotanti cura hucusque obti„gerit?

„16) An corporis vitio quodam laboret sanabili aut „insanabili?

„18) Nonne adfectus sit epilepsia, malo cancroso, „aut contagioso?

„19) An & quoties iam in concursu supplicantium „vel per literas vel coram se stiterit?

„19) An nunc in concurſu coram comparere poſſit, „aut quare non poſſit?

„IV. Pauperum vero curandorum collegia, tam ſu„premum in urbe noſtra principali, quam localia ruri eo „proſpicere debent, ut pauperes omnes, quos perpetuo „noſocomii beneficio dignos iudicaverint, in concurſu, „dummodo fieri poſſit, ipſi compareant. Si unus alterve „morbo, ſenio aut quacunque corporis infirmitate impe„diatur, quominus ipſe ſe ſiſtat, hoc comprobetur, neceſſe „eſt, vi teſtimonii ab obligato Medico vel Chirurgo, prout „morbus vel internus vel externus fuerit, ſcripti ac de„ſcriptioni definitae adiungendi.

„V. Inpoſterum nullo modo concedere poſſumus, ut „pauperes, quibus receptionis vel omnino nulla, vel te„nuis & longinqua ſpes competit, arbitratu ſuo adcur„rant, ordinem perturbent, atque moram adferant viris, „quibus ſupremam de recipiendis in noſocomium pauperibus „cognitionem demandavimus. Exſpectamus igitur a con„ſtitutis pauperum curandorum collegiis, ne quenquam ad „concurſum ablegent, niſi qui in ſumma egeſtate ac mi„ſeria verſatur, atque pro magno numero competitorum „omnium ex tota provincia adfluentium iuſtam ſpem ha„bet, fore, ut perpetuum in Iulii noſocomio beneficium „nanciſcatur.

„VI. Receptio ſi fuerit abſoluta, a nobis confirmata „& promulgata, ſatrapae ſive praefecturarum provincia„lium adminiſtratores, relationibus ſuis, ſexto quovis „menſe ad ſupremum pauperum curandorum collegium „transmittendis, addere debent indicem pauperum, quos „non ſolum ad concurſum pro receptione in Iulii no„ſocomium impetranda vel ipſos vel obſtante morbo per „literas repraeſentarunt, ſed qui dein etiam in noſoco„mium recepti ſunt.“

„Ceterum confidimus eo magis Parochis noſtris at„que praefecturarum adminiſtratoribus, fore, ut his noſtris „praeſcriptis ſingulis & cunctis obſequantur, neque unum „alterumve unquam vel negligenter vel ſtudio transgredi „audeant, quum collegio, quod de pauperibus in noſo„comium recipiendis cognoſcit, ſimul eodem hoc tem„pore mandamus, ut quodvis contra haec edicta pecca„tum illico nobis indicet, praeſertim ſi pauper inde de„trimentum capiat, ad quod quodam modo reſarciendum „culpatus pecunia per ſingulas hebdomades uſque ad „proximum concurſum pauperi ſolvenda mulctabitur.“

Qui vero de dignitate pauperum ſenum vetularumque in noſocomium recipiendorum cognoſcunt, praeter ipſos noſocomii Praefectos, Parochum, duos Directores laicos, duos Medicos, Chirurgum primarium, Secretarium, Regiſtratorem, Protocolliſtam, &c. ſunt adhuc alii duo Conſiliarii eccleſiaſtici, Conſiliarius aulicus unus, qui ſimul ſupremi pauperum curandorum collegii membrum eſt, atque duo Conſiliarii camerales. Hi omnes praeſtituta & ephemeridibus promulgata die circa feſtum Pentecoſtes, ut ſupra dictum eſt, in noſocomio conveniunt, iuxta normam praeſcriptam de egeſtate, ſenectute morbidave adfectione praeſentium & abſentium pauperum diſquirunt, allata teſtimonia ſevere perſcrutantur, atque Principi dein deferunt, quos prae ceteris ad perpetuum in noſocomio beneficium recipiendos iudicaverint. Impetrata Principis adprobatione promulgantur nomina eorum, qui vel ſtatim recipiuntur, vel ſpem proxima in locum vacuum receptionis habent. Statuit enim Franciscus Ludovicus, ne praeter indefinitum aegrotantium numerum ſuſtentarentur in noſocomio pro praeſenti redituum ratione plures, quam quinquaginta quinque viri ſenes, ſeptuaginta quinque vetulae, quinquaginta duo amentes utriusque ſexus, octo epileptico morbo laborantes

& in peculiari domo habitantes, quinquaginta ſex famuli famulaeque & aegrotis & ſenibus perpetuo noſocomii beneficio fruentibus adminiſtrantes.

His denique accedunt triginta pauperes adoleſcentes ſtudiis doctrinisque dediti. Tot enim per ſingulos annos in noſocomio ſuſtentari iuſſit FRANCISCUS LUDOVICUS, domeſtica puerorum Principiſtarum dictorum ſchola ſublata, quum in puerulis hisce & accuratiſſimum examen nondum probet, an neceſſariis ad literarum ſtudia dotibus praediti ſint, & quum illi prima literarum elementa, quin magnos parentibus ſumtus adferant, in ſcholis vulgaribus ſeu trivialibus addiſcere poſſint. Quicunque igitur in numerum pauperum noſocomii ſtudioſorum recipi voluerit, literis doctrinisque iam adeo imbutus eſſe debet, ut Gymnaſii ſcholas cum honore ac profectu poſſit obire. Adferat, neceſſe eſt, literas a Parocho & praefecturae Adminiſtratore ſcriptas, quae legitimo modo teſtantur de die & loco natali, (Wirceburgenſis eſſe debet,) de paupertate, egregiis ingenii dotibus moribusque. Competitor quilibet anno ſcholaſtico finito, medio fere menſe Septembri, die praeſtituta & ephemeridibus promulgata ipſe ſe rigoroſo examini ſubiiciat, quod inſtituunt noſocomii Parochus ceterique Praefecti, Profeſſor quidam in publicis Gymnaſii ſcholis docens, atque chori in noſocomio muſici Director. Quum vero iuvenes iſti literarum ſtudiis dediti ex praecepto FRANCISCI LUDOVICI non amplius aedem aulicam adeunt, etiam ab iis non deſideratur, ut muſicam calleant, ſed qui & hanc calluerit ſub eadem morum atque ſcientiarum conditione, prae aliis in noſocomium recipitur. Si quis autem examine utut ſevero tentatus receptus fuerit, cuius diligentia dein minor, ingenium tardius aut mores tam pravi & incorrigibiles obſervantur, ut tanto beneficio indignus videatur; dimittendus erit, in eiusque locum

dignior alius recipiendus. Qui ſtrenue literis operam navarit, ſemperque ſe geſſerit, ut iuvenem bene moratum decet, hoc noſocomii beneficio, ſi eius mature ſatis particeps ſit, per ſeptem annos fruitur, nempe uſque dum abſolverit utrumque philoſophici ſtudii curriculum in Gymnaſio. Qui dein e noſocomio cum honore tranſit ad Academiam, vel etiam clerici aut alius ordinis eccleſiaſtici regulas ſequitur, adhuc ut olim praeter omnia, quae habet, veſtimenta viginti quinque florenos dotis adinſtar a noſocomio accipit. Inſuper quot praemia quis in fine anni ſcholaſtici reportaverit, tot florenos integros, & quoties cum praemifero quis de palma certarit, tot florenos dimidiatos accipit, qua pecunia in feriis ad ſuos abiens animum recreare poſſit. *

Ut incolarum noſocomii ita & victus in genere duplicem claſſem FRANCISCUS LUDOVICUS conſtituit, & cuilibet claſſi peculiarem, communem tamen & publicam quaſi menſam in ſeparatis coenaculis adſignavit. Primae claſſis prandium incipit hora meridiana duodecima, atque coena hora ſeptima veſpertina. Huic primae claſſi adnumerantur incolae honoratiores noſocomii Miniſtri, ut bini iuvenum literis operam navantium Magiſtri domeſtici, tres adſiſtentes Medici ac Chirurgi, Pharmacopoeiae Adminiſtri, atque ſenes vetulaeque perpetuo noſocomii beneficio fruituri, quos celſiſſimus Princeps ſuo ſigillo ad hanc claſſem denominaverit. Parochus autem Antiſtes etiam in noſocomio cum duobus Capellanis habitans annuum accipit ſalarium numerato ſolvendum, ex quo ipſe ſibi ſuiſque Adminiſtris victum curare, remque familiarem peculiarem habere debet. Primae vero claſſi

* Würzburger wöchentliche Anzeigen von gelehrten und andern gemeinnützigen Gegenſtänden. 1798. pagg. 679 ſeqq. pag. 689 ſeqq.

ſingulis diebus a noſocomio porriguntur ad prandium iuſculum de carne, caro bovilla, legumina & caro aſſata diverſae ſpeciei, prout anni tempus ea fert: ad coenam iuſculum de carne, ex avena, oryza vel hordeo paratum, & caro quaedam iurulenta ſeu aſſata cum acetario; die vero ieiunii ad prandium iuſculum, legumen quoddam, carpio iurulentus, eſca quaedam e farinis parata: ad coenam iuſculum, poma cocta & eſca quaedam e farinis parata. Praeterea ſingulis diebus vini menſura una & panis oblongi triticei dimidia pars.

Secundae claſſi, ad quam pertinent ſenes vetulaeque, veſani, nec non omnes famuli famulaeque, ad prandium, quod hora decima matutina, habent ſingulis diebus iuſculum de carne, carnem bovinam ac legumen quoddam, cui additur & caro aſſata diebus feſtis: ad coenam, quae hora quinta veſpertina eſt, iuſculum de carne, ex oryza, hordeo, avena, ptiſana ſeu panico paratum, & carnem quandam iurulentam: die ieiunii vero iuſculum, legumina cum piſcibus & cibum e farina paratum: ad coenam iuſculum. Praeterea ſingulis diebus ad prandium dimidiam, & ad coenam quadrantem vini menſuram cum pane ſecalino.

Iuvenes ſtudioſi beneficio noſocomii fruentes ſecundae claſſis victum habent, coenam meridianam vero capiunt hora undecima & dimidia, & veſpertinam hora ſexta.

Senes vetulaeque & ſtudioſi iuvenes veſtiuntur optime, ſimpliciter & permodeſte. Ex eo die, quo in noſocomium recipiuntur, novis induuntur veſtimentis. Vetulis porriguntur tunicae muliebres ſive ſtolae (*Röcke*), & amiculum (*Mützchen*) e panno coloris cineritii confecta, duae ſubuculae (*Leibchen*), duae mitrae ricinae &

caliptrae (*Hauben*), duo fuppari (*Halstücher*), duo praecinctoria (*Schürzen*), duo muccinia (*Schnupftücher*), duo paria tibialium (*Strümpfe*) & calceorum, chirothecae (*Handschuhe*) &c. Viris fenibus autem porriguntur toga una (*Rock*) cum duabus interulis five fubuculis (*Camisol*) e panno coloris cineritii, duae tunicae interiores pectus comprehendentes (*Brustfleck, Brustlatz*), duo collaria (*Halstuch*), cucullus (*Kappe*), duo paria braccarum five tegumentorum feminalium fcorteorum (*Hosen*), duo muccinia, chirothecae, duo paria tibialium & calceorum &c. Per fingulas hebdomades accipiunt indufium bene lotum, omniaque veftimenta pro neceffitate reficiuntur, aut novis mutantur. Adolefcentes vero ftudiofi ftatim, ut in nofocomio recepti funt, obtinent pallium e panno coloris cinerei, togas duas cum interulis five fubuculis eiusdem panni ac coloris, duos cucullos xylinos albi coloris, collare, duo muccinia, quatuor tibialium & duo calceorum paria, duo paria braccarum five tegumentorum feminalium e panno cineritio confectorum. Quotannis accipiunt togam unam novam, & quarto anno novum pallium: reliqua minora veftimenta pro neceffitate vel reficiuntur vel novis mutantur: indufia vero & collaria bene lota fingulis hebdomadibus exhibentur.

Triginta iuvenes ftudiofi maximam diei partem, quae a publicis fcholis vacat, commune a coenaculo diverfum habent conclave, quod Mufeum dicunt, ubi commentatione domeftica, aut fcribendo, aut cogitando, vel ediscendo vel componendo penfa a publicis Gymnafii Profefforibus imperata occupantur, atque privata duorum Magiftrorum domefticorum inftitutione utuntur, pulpitis adfidentes panno viridi obductis atque praecludendis. Omni cura liberi ftudiis unice vacare poffunt. Ad doctrinas addifcendas obtinent a nofocomio libros utiliffimos omnes, non neceffarios folum in publicis Gymnafii fcholis

praefcriptos, & diebus feriatis, quibus fcilicet fcholas publicas non obeunt, in arte mufica exercentur a Directore chori mufici, aut concomitante Magiftro fuo rus evolant ambulandi corporisque & animi recreandi gratia. Peculiaria quoque dormitoria duo funt, in quibus fingulus quisque proprium fuum lectum habet, velis undique claufum, & quovis menfe linteis toralibusque bene lotis obducendum.

Senibus etiam viris feminisque pro diverfo fexu feparata quidem, verum denis & duodenis eiusdem fexus communia & a coenaculis diverfa cubicula funt, in quibus per diem verfantur, noctuque fimul dormiunt, ita tamen, ut fingulo cuilibet peculiaris lectus adfignatus fit, velis undique claufus, & quovis menfe linteis toralibusque bene lotis obducendus. In hisce cubiculis amplis & altis adhuc ventilatores five fpiracula funt, quibus per diem faepius aperiundis aër reftauratur. Singulo cubiculo praefecta eft famula una, quae fenibus in eo degentibus neceffaria adminiftret, atque fi mali quid uni alterive acciderit, vel Sacerdotem vel Medicum adfiftentem arceffat. Suppetunt alia cubicula, in quibus degunt, dum fingulis annis ordinaria recenti tectorio obducuntur, & alia, in quibus curantur, fi in graviorem morbum inciderint.

In aedificio antico eft facellum, in quo reconvalefcentibus aegrotis Miffa dicitur. Templum vero, in quo fanis nofocomii incolis facra publice adminiftrantur, in aedificio poftico exftat, per bina fuperiora tabulata fefe efferens. Templi huius formam fimpliciffimam ac elegantem accuratius defcribere, non alienum videtur. Aedificium omne innifum porticu duos antehac oecos, alterum in inferiore, in fuperiore contignatione alterum, cum atriis haud mediocribus complectebatur, in quibus commiffationes diebus feftis celebratae funt. Hi oeci nunc

perrupto tegumento commiſſi, in aedem, quae commoda ad cultum divinum debilibus ſenioque confectis eſſet, elegantiſſime mutati ſunt. Templi figuram conſtituit parallelogrammum, cuius omnia latera, pilis marmoratis diſtincta, columnae marmoris adinſtar elaboratae circumſiſtunt. Columnis hisce ſuggeſtus incumbit per latera continuus, ad quem, uti ad aream, duo oſtia ducunt, ita quidem, ut omnes, qui in noſocomio degunt, ab omni tempeſtatis incommodo tuti in eccleſiam coire queant. Vertex templi convexus, ſicuti & latera, nullis omnino picturis, ſed aliquibus tantummodo figuris ornamentisque gypſo elaboratis ſimplici decore conſpicua ſunt. In media area e margine quadrato ſatis amplo altare ſurgit unum, ita tamen exſtructum, ut utrinque celebrari ſacra poſſint. Arae graecae non diſſimile baſin habet marmoream, cui tabernaculum ex eodem lapide impoſitum eſt, quod, dum uno ductu velum ſemotum fuerit, per feneſtras quatuor undique Sanctiſſimi adſpectum praebet, nec niſi figura (eſt quippe ſolidum rectangulum quatuor laterum additis ad angulos columellis,) & cruce nitet auro tincta, quae haemiſphaerae tabernaculi nempe vertici inſiſtit. A fronte altaris extra marginem columna Ionica marmorea fert lampadem, quam ſiniſtra manu virgo tenet ex alabaſtrite eleganter ſculpta, dextra ex cantharo quaſi flammam alitura oleum infundit. A tergo cathedra marmorea, & in ſuggeſtu organon iuſta proportione erecta; ſellae elegantes ad utrumque latus marginis pari intervallo poſitae. Ergo ibi nullum ſuperſtitionis veſtigium, nulla terroris metusque ſpectacula, ſed maieſtas elegantiae iuncta hilari & verecundo adſpectu mentem levat, caſtumqne ſummi numinis ſenſum excitat, talique modo ſemotis, quae animo in coelum tendenti obvia ſint, impedimentis templum hoc ab omnibus, quibus mens ſana fuerit, non probari non poſſe, iure contendo.

Utrumque aedificium anticum & pofticum in unum quafi parallelogrammum coniungitur duobus aedificiis lateralibus diftegis verfus orientem & occidentem adftructis, in quibus habitant vefani vefanaeque. In infima quidem domo concamerata curantur tales miferi, qui gratuito in nofocomium recipiuntur, atque fuftentantur, ufque dum fanati fuerint. Separatus cuilibet lectus, perticis ferreis circumdatus, velisque obductus eft. In fuperiori vero contignatione ut & in primo tabulato fub tecto peculiaria minora cubicula funt, in quibus curantur eiusmodi miferi, qui vel in morbum contagiofum incidunt, vel honoratiores vefania aliove morbo laborantes, qui nofocomio curae fumtus compenfant, ac privum cubiculum petunt.

Omnibus vero nofocomii incolis interdictum eft, ne nifi venia a Parocho impetrata exeant. Deambulare poffunt in impluvio feu area ftrata ampliffima, centum circiter pedes lata, & ultra quingentos longa, in qua funt duo fontes falientes, vel tempeftate pluvia vel ardente fole in porticu, qui arcubus atque fulcris ornatus per inferiorem aedificii poftici longitudinem excurrit. Patet a tergo eiusdem aedificii poftiei per totam eius longitudinem meatus, quatuordecim pedes latus, quem terminant verfus orientem & occidentem duo balnearia, e faxo folido quadrato exftructa, ita conftituta, ut per machinas fiftulasque lavans quilibet ex voto fuo & Medici ordinatione balneo vel calidam vel frigidam aquam immittere poffit. Quae balnearia utut adfabre & eleganter concinnata, quum funt ab aegrotantium cubiculis nimis remota, rarum ufum, neque tantam utilitatem praebent, quanta ab iis fperabatur. Ut exftruantur alia aegrotantium cubiculis propiora, in votis eft, quae facile implebit Princeps celfiffimus, cui nonnullorum aliorum defectuum mendatio eft refervata.

Ambulantibus quoque per diem patet hortus botanicus peramoenus, ad quem ſcalae tres ducunt, ex illo meatu pone tergum aedificii poſtici excurrente. Hortum hunc amplificari, totumque in adiumentum botanicae omnigenis herbis excoli iuſſit FRANCISCUS LUDOVICUS, eique praefecit clariſſimum GABRIELEM HEILMANN, collegam meum aeſtumatiſſimum, qui primus in Academia noſtra botanicam ſedulo docet, atque pro ampla ſcientia horto reſtituendo indefeſſus fuit. In extremo & medio fere horto domus tabulatorum duorum ſe extollit, ſupra cuius portam laminae marmoreae haec verba aureis literis inſculpta leguntur: „Has aedes exſtrúi curavit, „praelectionibus botanicis & chemicis ſacravit, hortum„que botanicum auxit FRANCISCUS LUDOVICUS A. R. S. „MDCCLXXXVII.“ Tabulatum nempe ſuperius hortulano habitationem praebet, inferius autem duo habet conclavia, quorum alterum ad dextram lectionibus atque collectionibus botanicis & alterum ad ſiniſtram lectionibus atque laboribus chymicis inſervit. Chymiae docendae munus demandatum eſt viro digniſſimo, GEORGIO PICKEL, collegae itidem amatiſſimo, arte ſua & exteris celebrato, qui in Academia noſtra hanc ſcientiam primus ſubtiliter ſolideque docet. Aedibus hisce ad dextram & ſiniſtram adiacent varia domicilia calore incrementum plantarum promoventia atque tuentia.

Theatrum quoque anatomicum FRANCISCUS LUDOVICUS non ſolum exornavit, ſed & ampliavit addito novo aedificio ſeptuaginta pedes longo, ita, ut totum aedificium iam centum & triginta pedes longum atque ſexaginta & tres pedes latum ſit. Supra tectum concameratum eminent tres turres: media depreſſior rotunda & tholus eſt; binae laterales autem altiores ſunt ac quadratae. Aedificium hoc in anticam & poſticam partem dividere licet. Pars antica hortum ſpectans, per quem

& aditus in illam patet, iam in fronte hanc inſcriptionem literis aureis inſculptam oſtendit: „Theatrum „anatomicum renovavit & auxit FRANCISCUS LUDOVI„CUS, IULII abnepos, A. R. S. MDCCLXXXVII.“ Supra hanc inſcriptionem quidem inſignia Principis IOANNIS PHILIPPI a GREIFENKLAU conſpiciuntur: aſt iſte nondum de theatro anatomico cogitaverat, ſed hanc domum exſtruxit hortenſem, quieti ambulantium deliciisque conſecratam, quam dein IOANNES PHILIPPUS FRANCISCUS de SCHOENBORN in uſus anatomicos convertendam primus decrevit. In propylaeo ad dextram & ſiniſtram ſtatuae duae in ſcaphis erectae ſunt, quae viros anatomicis demonſtrationibus occupatos repraeſentant, ſymbolaque ſunt eorum, quae intus aguntur. Ingredientibus vero amplum ac ſublime ſe oſtendit cubiculum oblongum & concameratum, in quo demonſtrationes anatomicae habentur. Auditores & ſpectatores adſident in amphitheatro triginta pedes longo & ſedecim lato, tres contignationes alto, ad quas binae ſcalae ducunt, turrisque media ſive tholus, feneſtris maxima ex parte conſtans, per diem obiecta colluſtrat, noctu vero & quandocunque opus fuerit, lampas quoque inceditur. Ad dextram alia duo ſe aperiunt cubicula, ſceletis, multifariis rarioribus referta praeparatis & oſſibus, anatomiam, phyſiologiam & chirurgiam illuſtrantibus, quae in ſcriniis vitreis ſecundum ordinem diſpoſita adſervantur. Ad ſiniſtram eſt turris, quae hydraulica (*Waſſerthurm*) dicitur, ubi machinis aquae elevantur & deprimuntur, atque non ſolum in anatomicas aedes hortumque botanicum, ſed & in omne noſocomii aedificium eiusque varia tabulata diffunditur. Ad dextram vero altus aërisque pervius meatus in aedium anatomicarum partem poſticam ſeu novam anno 1787 exſtructam ducit. Magis ea depreſſa eſt, quam pars antica, continetque praeter latrinam tria cubicula, ſpiraculis & ventilatoribus in

lacunaribus inſtructa. Primum inſervit lectionibus chirurgicis & obſtetriciis, alterum anatomicis exercitationibus ſecandisque cadaveribus, & tertium denique recipiendis lavandisque cadaveribus, antequam ſectioni ſubmittantur, quem in finem hic fontes ſunt, fiſtulis aquam evomentes, quae in labro lapideo colligitur, atque canali in praeterfluentem rivum deducitur. Adſunt & fornaces duo, cacabis aeneis inſtructi, ad calefaciendas aquas materiasque praeparatis iniiciendas; tabulae denique, vaſa & inſtrumenta varia ad labores anatomicos neceſſaria. Immo Franciscus Ludovicus & in coemeterio, extra noſocomium ſiniſtrorſus pone tergum horti botanici ſito, peculiarem exſtruxit aedem, quinquaginta pedes longam & ſedecim latam, in qua cadavera macerantur, oſſaque & ſceleta inſolantur, atque nihil plane ſapientiſſimus Princeps omiſit, quod adiuvando ſtudio anatomico poſſet inſervire. Anno 1788 die 9na Iulii novum theatrum anatomicum publice & ſolenniter ipſe inauguravit. * Quanta ſint Caroli Caspari Siebold de ſtudio anatomico merita, notum eſt celebratumque: plurimum autem illud apud nos excultum eſt decem abhinc annis, ex quo tempore Profector publice conſtitutus eſt vir egregius, Franciscus Casparus Hesselbach, in rebus anatomicis verſatiſſimus & in conficiendis praeparatis anatomico-phyſiologicis peritiſſimus, ad profundam, quam tenet, ſcientiam lectionibus

* *Rede von den Vortheilen, welche der Staat durch öffentliche anatomiſche Lehranſtalten gewinnet, bey der feyerlichen Einweihung des neuen anatomiſchen Theaters im Julius-Spital zu Würzburg gehalten von Karl Caspar Siebold. Nürnberg.* 1788 4. Cui adiectae ſunt tres tabulae aeri inciſae, quae aedium anatomicarum atque domicilii macerandis cadaveribus deſtinati adſpectum a fronte internaeque ſtructurae delineationem repraeſentant.

atque demonſtrationibus anatomicis communicandam paratiſſimus.

Siniſtrorſus e regione aedium anatomicarum domus eſt binorum tabulatorum, quorum inferius linteis lavandis, ſuperius lotis ſiccandis inſervit, ſi tempeſtas pluvioſa impedit, quominus lintea lota ſiccentur & candeſiant in adiacente caeſpite viridi, quem rivulus perfluit. Eadem haec eſt domus, quam ita parare voluit FRANCISCUS LUDOVICUS, ut in eo miſeri morbo vel epileptico vel contagioſo adſecti curari poſſent. Sed hoc conſilium non ad effectum pervenit, quamquam clariſſimus KRÜNITZ * domum ita revera conſtitutam eſſe adfirmet.

Ad muros a dextra & ſiniſtra hortum totumque noſocomium complectentes varia ſunt domicilia oeconomica, ſtabula, horrea, nubilaria vehiculis ligniſque reponendis ſervientia. Culina vero, cella penaria, coenacula & medicaminum officina, cui praeeſt clariſſimus IOH. WILHELMUS LEBERMANN, vir in arte ſua verſatiſſimus, in porticu aedificii maioris poſtici ſunt. Idem porticus innititur concameratae cellae vinariae per totam aedificii poſtici longitudinem excurrenti. Et a tergo pone aedificium poſticum ſub illo meatu, ex quo ſcalae tres ad hortum botanicum ducunt, & a fronte antici aedificii canales ſunt ſtructiles, per quos omnes ſordes, aquae inquinatae latrinaeque in fluvium Moenum deducuntur, & in quos, ne unquam obſtruantur, & ne vapores mephitici oboriantur, rivus molam movens totumque noſocomii parallelogrammum ambiens induci poteſt. Inſerviunt eidem fini colliciae e lamina confectae, quae per totum noſocomii parallelogrammum undique pluviam

---

* L. c. pagg. 473 ſqq praecipue pag. 480.

excipiunt, & in illos canales derivant. Hi ipsi denique aliquoties per annum purgantur ab omni luto & coeno, quod effoditur, & absportatur in nosocomii hortos extra urbem sitos.

In universum sane nosocomii situs est saluberrimus in extrema urbe ad vallum, ubi ad aedem posticam per amplissimum hortum soli ventisque aparctiae, euronoto & cauro liberrimus patet accessus. Versus meridiem vero publicum ambulacrum, duplici arborum serie consitum, aedes nosocomii ab urbe separat, & propylaeum quasi constituit ad aedem anticam, sexcentos & sexaginta pedes longam. Totum nosocomium, quod quadram fere figuram refert, undique liberum est, & remotum ab aedibus finitimis denos ad minimum pedes. Tectum totius parallelogrammi distegum, lapide schisto coopertum, aperturas plurimas habet aeri pervias, atque in ipsis aedibus multae sane & amplae fenestrae conspiciuntur, & per omnia cubicula ventilatores atque spiracula sunt, ipsique meatus, saxis quadratis strati, sat ampli & per omnes totius parallelogrammi contignationes continui, atria quasi sunt cubiculorum habitabilium. Immo in aedis anticae tabulato secundo duo fontes fistulis aquam emittunt, atque munditiei conservandae plurimum conducunt.

Iam forma externa visentibus admirationem iniicit atque venerationem, quum portae principali adstantes non solum totam aedis anticae longitudinem, sed & aedem posticam & per huius portam altam hortum quoque botanicum optice perspiciunt usque ad domum, quae in medio horti extremi se extollit. Monentur vero iam in limine primo, hanc aedem esse miseris omnibus consecratam. Supra portam imago conspicitur e lapide adfabre & elegantissime a cive nostrate Henrico Nickel exsculpta,

ſymbolum quaſi eorum omnium, quae intus aguntur. Siniſtrorſus nempe cuiusvis generis aegroti & egeni ſenes, pupillique arbori adſtant, vel defatigati cum fulcro adiacent, dextrorſus autem in excelſiore ſuggeſtu ſub coelo, quod Baldachin vocatur, velis exornato, ipſe Conditor Iulius Magnus Princeps ac Epiſcopus Wirceburgenſis, loquens cum Sacerdote, Medico, Chirurgo, aliisque miniſtris, quibus circumdatus eſt, & quos exhortari videtur, ut miſeris illis operas ſuas praeſtent. A dextra Iulii Architectus ſtat, noſocomium, quod in receſſu adparet, digito monſtrans, eiusque ſtructura ac emolumenta palam quaſi pronuntians. Infra imaginem lapidi literis aureis inſculpta leguntur haec verba: Für arme Kranke, Preſshafte und Alte, i. e. *Pauperibus aegrotis, vitio corporis ſenioque adflictis.* Supra hanc imaginem conſpiciuntur Iulii Principis inſignia, ſupraque haec in triangulo aedium frontem terminante numerus anni 1791, quo novum hoc aedificium a Francisco Ludovico abſolutum fuit. Hic vero ſua inſignia vel a fronte vel a tergo aedificii ſuo auſpicio conſilioque a fundamentis reſtituti adfigi ut permitteret, ne exemplo quidem Principis Ioannis Philippi a Greifenklau moveri potuit, cuius inſignia adpoſita ſunt fronti tergoque aedificii poſtici, quod, quum igne devaſtatum eſſet, amplius reſtituit.

Sic tandem Noſocomium Iulii ad elegentiam & ſplendorem maiorem ab eius ſucceſſoribus, maxime autem a Francisco Ludovico revocatum eſt atque refictum, multis immo aedificiis novis auctum adeoque immutatum, ut Conditor ipſe, ſi ad vivos rediret, magnificentiam admiraturus, primumque opus ſuum neutiquam cogniturus eſſet. Aedium a Iulio primitus exſtructarum ne unus quidem paries reſtat, novaeque illae penitus omnes a fundamentis reſtitutae ſunt.

§. 11.

Opticum nosocomii prospectum adieci, a F. Pölzel accuratissime delineatum, aerique elegantissime incisum a nostrate chalcographo Bittheuser, qui adhuc Stutgardiae versatur, arti suae operam navans. Uno obtutu in hac figura quadrangulari perspicis omnia, quae ad nosocomium pertinent, si coemeterium cum domo macerandis cadaveribus destinata atque domum epilepticorum excipias, quippe quae extra nosocomii muros, in vicinia tamen exstant.

Aedificium vero anticum literis in tecto AA. BBB. & C. in pavimento notatum, versus meridiem spectans, 660 pedes longum, & ultra 50 pedes latum est, duas habet contignationes, tres autem in medio & utroque angulari extremo.

C. Porta principalis, supra quam imago cum inscriptione; dein Iulii insignia, & numerus anni, quo novum hoc aedificium a Principe Francisco Ludovico absolutum est. Vide pag. LVIII.

Portam principalem si intraveris, ad dextram & sinistram vides scalas, commode ad unumquodque tabulatum ducentes.

Tabulatum inferius ad sinistram continet 1) cubiculum duorum ianitorum, qui ex eo omnia, quaecunque ad portam acciderint, possunt observare. 2) Amplum conclave, in quo singulis annis egeni miserique conveniunt, qui ad perpetuum nosocomii beneficium adspirant. Vide pag. XLVI. Dein 3) conclave, in quod confugiunt quotidie pauperes externo vitio corporis laborantes atque chirurgicam opem implorantes. 4) Conclave, in quo adservantur instrumenta chirurgica, linimenta, fasciae,

aliaque ad usus chirurgicos necessaria. 5) Alia nonnulla cubicula, quae tam oeconomiae quam aegrotantium emolumento praesto sint.

Tabulatum superius in plura divisum est cubicula aegrotis accomodata: a dextra sunt aegrotantes masculi, feminae vero a sinistra, & meatus ad aegrotantes unius alteriusve sexus clathris ferreis muniuntur.

Tam in parte dextra quam in sinistra huius tabulati fontes sunt, fistulis aquam evomentes, quae labris lapideis excepta in canalem defluit.

Quin & in tecto primum tabulatum seriem cubiculorum habet, quae destinata sunt ad sinistram aegrotis utriusque sexus, pro diverso sexu tamen bene separatis, ex anthemate qualicunque adfectis; ad dextram vero cubicula adhuc vacua ancillis aegrotis destinata sunt, si quando egregium opus de curandis omnibus ancillis aegrotantibus constitutum fuerit.

In parte media elatiore tristega tabulatum inferius portam principalem, de qua supra dixi, & scalas ad dextram sinistramque partem continet. Portae innititur sacrarium, in tertiam contignationem adsurgens, ad quod aegrotantibus, ad dextram & sinistram vel in contignatione secunda vel in cubiculorum sub tecto exstructorum prima serie habitantibus accessus patet. Huic sacrario e binis lateribus in secunda contignatione adstructa sunt cubicula duo, in quibus aegrotantes honoratiores peculiariter curantur. In duobus autem cubiculis tertiae contignationis huic sacrario proximis habitant, & ad dextram quidem Medicus adsistens, de quo pag. XXXVIII. & ad sinistram duo Socii sive adsistentes Chirurgi primarii.

Supersunt iam binae partes elatiores tristegae angulares, quae aedi anticae in utroque fine adnexae sunt,

Partis dextrae tabulatum infimum, ad quod particularis porta minor ducit, nofocomii propriam officinam piftoriam complectitur & molam, quam movet rivulus ab oriente adfluens. Molendarius ibidem cum familia habitat, qui fimul panes coquit incolis nofocomii neceffarios, eosque optimos, adhibitis fociis mercenariis in opere piftorio bene verfatis.

In contignatione media varia cubicula funt, in quibus curantur honoratiores & opulentiores, qui nofocomio curae fumtus compenfare voluerint. In tertia contignatione cubicula tria funt, recipiendis aegrotis civium mercatorum, artificum & opificum fociis atque difcipulis, de quo praeclaro inftituto egi pag. XXXV.

Pars elatior triftega in angulo finiftro aedem anticam claudens in infimo tabulato praebet pauperibus ftudiofis Mufeum, duo dormitoria, conclave amplum concameratum, in quo Muficam exercent, animumque recreant, & cubicula duo minora binis praeceptoribus domefticis ita accomodata, ut, quidquid acciderit in Mufeo, dormitoriis aut in conclavi mufico, per feneftras obfervare poffint. De hoc inftituto vide pag. L.

Mediam contignationem tenet Parochus, & in fuprema verfantur bini eius adminiftri feu Capellani, quorum quilibet duo cubicula habet.

Perluftrata aede antica e domicilio ftudioforum in impluvium feu aream domus ampliffimam lapidibus ftratam (I. I.) defcendimus, in qua videmus duos fontes falientes clathris circumdatos (K. K.), & utrinque ad dextram verfus orientem & ad finiftram verfus occidentem duo aedificia lateralia diftega (H. H.) aedem anticam & pofticam conjungentia, de quibus fupra pag. LIII. expofui. Hic nihil addendum, nifi quod 1) in pariete

externo utriusque aedificii lateralis verſus aream ſpectante fontes ſint alii concinne fabricati, e quibus aqua potoria tollenone hauritur. 2) Veſani maſculi habitant in aedificio ad dextram verſus orientem, feminae vero veſanae in aedificio ad ſiniſtram verſus occidentem ſito. 3) In veſtibulo ante cubiculum veſanorum maſculorum fons eſt aquam fiſtulis evomens. 4) In eodem hoc aedificio verſus orientem ſpectante varia cubicula in tabulato primo ſub tecto exſtructa herbis ad pharmacopoei uſum adſervandis inſerviunt.

Tranſituris in aedem poſticam triſtegam (D. D.) ſufficit noſſe, in duabus contignationibus ſuperioribus habitare ſenes & debiles utriusque ſexus, qui ad dies vitae noſocomii beneficio fruuntur, & mares quidem ad dextram, vetulas autem ad ſiniſtram. Utrumque ſexum ſeparat eiusdem aedis media pars elatior (F). In ea templum eſt, per duas contignationes adſurgens, ad quod incolis ex utroque latere & tabulato acceſſus patet, & quod deſcripſi ſupra pag. LI. In tecto prominet turricula cum duabus campanis, & infra hanc horrologium.

Tota aedes poſtica fulcitur porticu (G. G.), per cuius medium arcum aditus & proſpectus ad hortum botanicum patet. In hoc porticu ſeu infimo tabulato ſunt ad dextram 1) coenaculum pro ſenibus maſculis, 2) cellarium, e quo panis & vinum quotidie diſtribuitur, 3) medicaminum officina domeſtica, nonnulla cubicula oeconomica, & ſcala ducens in contignationes ſuperiores. Ad ſiniſtram vero ſunt 1) coenaculum pro vetulis, culina ſat ampla, cella penaria, cubicula pro ancillis, aliaque oeconomica. Cella vinaria ſubterranea per totam aedis poſticae longitudinem excurrit.

Per portam aedis huius in hortum ambulaturi venimus ſuper canalem ſaxo quadrato tectum, in cuius

finibus extremis ad dextram & finiſtram balneatoria (M. M.) ſunt, de quibus expoſui pag. LIII. Per ſcalas tribus locis e lapide ſtructas deſcendere poſſumus in hortum botanicum (N. N. N. N.), in quó ad dextram ſe extollunt aedes anatomicae, quae dividuntur in anticam ſive veterem (O.) & poſticam ſive novam a Principe FRANCISCO LUDOVICO additam (P.). Vide pag. LIV.

Sequuntur dein domicilia calore plantarum incrementum promoventia ac tuentia (R. R. R. R. R.), ex utroque latere adiuncta domui, in qua lectiones botanicae & chymicae habentur, atque hortulanus habitat (Q). Vide pag. LIV.

Muris vero ad orientem & occidentem noſocomium claudentibus (L. L.) adſtructa ſunt alia aedificia, oeconomicis uſibus inſervientia, ſcilicet

Ad dextram ſtabula (a. a.) cum ſterquilinio in area ſat ampla (g.), locus reponendis lignis doliariis (b.) & granarium cum cella vinaria ſubterranea. Dein

Ad ſiniſtram itidem ſtabularia (a.) cum ſterquilinio in area ſat ampla (g.), tecta reponendis lignis & vehiculis (b.), aedificium ſerviens linteis lavandis & ſiccandis, cum ſtragibus lignorum (d.), caeſpes viridis ad lintea lota ſiccanda & inſolanda cum rivulo praeterfluente (e.), atque laniarium noſocomio proprium (f.).

§. 12.

Quam uberes reditus & cenſus annui ex praediis noſocomio propriis, quam ampli vici ſint & fundi, in quorum colonos noſocomii Praefecti poteſtatem habent legitimam, indicare quodam modo licet ex conſpectu tam eorum, qui in noſocomio curantur, quam eorum,

qui rerum ad nosocomium pertinentium curam gerunt, annuaque salaria ab eo accipiunt. Alit vero nosocomium annuoque salario sustentat

Numerum indefinitum aegrotantium,
55 viros &
75 feminas senes pauperesque,
52 amentes utriusque sexus,
8 epileptico morbo laborantes in peculiari domo,
30 iuvenes pauperes literis operam navantes,
2 Praeceptores eorum domesticos,
56 famulos famulasque,
1 promum condum,
1 molendarium, qui simul panes coquendos curat,
1 vietorem,
1 lanium,
1 hortulanum,
1 pharmacopoeium,
1 Chirurgum feminas syphiliticas in domo Elisabethae curantem,
1 Chirurgum primarium,
2 eius adsistentes seu coadiutores,
2 Medicos,
1 eorum adsistentem,
2 Capellanos Parochi administros,
1 chori musici Directorem,
1 aedituum,
1 vespillonem, qui simul in aedibus anatomicis famulatur,
8 rei venatoriae & saltuariae administratores in vicis & oppidis Gamburg, Windheim, Heckmühl, Platz, Wolfsmünster, Gräfendorf, Obersinn,

15 redituum atque iurisdictionis inferioris administratores in vicis & oppidis Bergrheinfeld, Gamburg, Hafsfurth, Iphofen, Karlburg, Lauda, Mainberg, Münnerstadt, Oberdürrbach, Sefslach, Thüngen, Volkach, Windheim, Windsheim, Wolfsmünster,

5 horum administratorum Antigrapharios.

In ipso nosocomio supremam potestatem gerunt, legitimumque tribunal constituunt

1 Praeses, Canonicus templi cathedralis,

1 Consulens iuris peritus, qui consiliarius Principis in collegio regiminis supremo esse solet,

1 Parochus Antistes, qui Principi a consiliis ecclesiasticis esse solet,

1 Praefectus nosocomii laicus, qui nunc est Principi a consiliis aulicis & Adsessor iudicii provincialis,

1 aerarii Administrator, qui nunc est Consiliarius cameralis,

1 Secretarius,

1 Registrator,

1 Protocollista, qui commentarium actorum perscribit,

5 Cancellistae, quorum quilibet & munere scribae contrarii aut inspectoris vel in culina, vel in granario, vel in cella vinaria fungitur,

1 Bidellus sive famulus concilii Praefectorum,

2 Ianitores.

Omnes vero subiecti sunt celsissimo Principi, cui & a conditore Iulio suprema nosocomii cura commendata est, legitimaque potestas competit, vel administratores constituendi, vel pauperes recipiendi. Sed ne longius

aberret oratio, hanc, quam adgreſſus ſum, noſocomii deſcriptionem intra iuſtos fines coerceam, neceſſe eſt.

Hi vero ipſa ratione muneris publici, quo fungor, conſtituti mihi videntur atque praeſcripti, nempe ut exponam de ſchola medico-clinica, quae in hoc Iulii noſocomio nunc floret, & cuius moderatio mihi a celſiſſimo Principe noſtro Georgio Carolo concredita eſt. Dicam ergo primo de aegrotantium cubiculis, dein de victu aegrotis praebendo, ac denique de medicorum tironum inſtitutione.

§. 13.

Aegrotantium cubicula in aede antica ſunt atque in binis aedificiis lateralibus, aedem anticam cum poſtica coniungentibus, ut notum eſt ex iis, quae ſupra §. 11. expoſui. Haec cubicula porro ſunt vel communia pluribus aegrotis eiusdem ſexus, vel priva & peculiaria ſingulis aegris accomodata. De communibus praecipue hic ſermo erit. Sunt ea plerumque ultra tredecim pedes alta, quadraginta & duos lata, ac triginta & tres longa, laetaque parietibus & lacunari dealbatis, fundo autem & limbis contabulatis. Quodlibet cubiculum in fronte ianuae habet inſcriptionem, quae deſignat, maſculine an feminae aegrotantes, morbo externo an interno laborantes in eo decumbant. Additus eſt huic inſcriptioni & numerus definiens, quotum ſit cubiculum aegrotis maſculis aut feminis deſtinatum. Per ianuam ſi intraveris, ex adverſo vides feneſtras, ad dextram vero & ſiniſtram duas cubilium ſeries, in quovis latere unam intervallo pedum fere triginta ab altera remotam. Numerus lectorum eſt in aliis duodecim, in aliis octo, & aegrotans quilibet ſuum cubile privum ac peculiare habet velis clauſum. Singulus vero lectus a ſingulo tribus circiter

pedibus distat, & undique fere liber a tribus lateribus adiri potest. Quodlibet cubile constat e sponda, sacco stramineo infime posito, culcita pilis crispis repleta, superstrata lodice alba lintea, cervicalibus duobus, torali plumeo vel laneo. Praesto sunt alia stragula aegrotis pro necessitate substernenda, &, ut iam supra pag. XLI. adnotavi, vestes cubiculares linteae laneaeque, indusia, tibialia, &c. quae per singulas hebdomades aut pro necessitate saepius aliis bene lotis mutantur. Ad singulum quemvis lectum pertinent quoque matula, catillus, patera, cyathus, cochlear cibarium, culter & furca. Cuivis lecto adposita est sella portatilis sat ampla, decumbenti mensae loco inserviens, atque fronti cuiusvis lecti adfixa est tabula nigra cum certo numero, in qua aegrotantis & Medici adsistentis nomen atque diaeta a Medico dirigente ordinata praescribitur. In ianua vero cernuntur schedulae scriptae, quae victum a promo condo porrigendum, morumque regulas & famulis & aegrotis praeceptas ob oculos sistunt.

Praeter mensam ligneam longam quadratam in medio fere cubiculo positam adsunt duae aliae fenestris adpositae mensulae, in quarum una foruli sunt reponendis & ad Medici ordinantis usum adservandis pennis, atramentario, charta scriptoria, plagulisque chartaceis, in quibus morborum historiae adnotantur. Medius paries inter fenestras laternam habet amplam & obtectam lamina, cuius in apice fistula cernitur candelae fumum per fenestras deducens. In quovis cubiculo sunt aestuaria & spiracula plura, & quidem in summa qualibet fenestra, & in infimo pariete opposito non fenestrato, illis in vestibulo factis correspondentia, cum valvis adnexis, quae pro necessitate claudi & aperiri possunt. Fornax ferreus cubiculum calefacit, & ad dimetiendos caloris gradus thermometrum in quolibet conclavi adfixum est.

Praeſto ſunt & vaſa alvo in lecto deponendae accomodata, alia ſputatoria, alia urinaria vitrea. In utroque pariete, iuxta quem lectorum ſeries eſt, intra ſpatium, quod binos quosvis lectos intercedit, oſtiola cernuntur, quae recluſa laſanum oſtendunt. Vas teſtaceum aſſeribus incluſum, quod alvum depoſitam excipit, non in aegrotantium cubiculo abſportatur; ſed extra cubicula pone utrumque parietem, iuxta quem lecti atque laſana poſita ſunt, patent meatus ceu veſtibula peculiari oſtio recluſa, in quibus famulae ſine omni aegrotantium incommodo laſana loculis eximunt, abſportant, & a faecibus purgata reponunt.

Cuilibet aegrotantium cubiculo addita eſt famula una, cuius officia iam ſupra pag. XXXVIII. expoſita ſunt. Habet receptaculum non niſi parvo veſtibulo a communi aegrotantium cubiculo ſeparatum, & adſervandis variis vaſis, ollis, in quibus infuſa potusque theiformes coquat, patellis, cyathis, & ſimilibus accomodatum, variisque ſcriniis inſtructum, in quibus lintea, mappae ac veſtes aegrotantium cuſtodiuntur. Per noctem vero famula in communi aegrotantium cubiculo commorari debet, ibique & lectum peculiarem habet.

Singulis annis parietes & laquearia tectorio obducuntur, & contabulata lavantur, aegrotis interim in alia cubicula deportatis.

§. 14.

Victus, qui aegrotis in noſocomio porrigitur, non ſolum nutriendi, ſed etiam ſanandi conſilio paratur, & a Medico vel Chirurgo primario ordinatur. Eliguntur cibi nec copioſi nec varii, ſed ſimplices ac bene praeparati, digeſtionem non gravantes, morbo & aegrotantis conditioni convenientes. Adiuvandorum conatuum

medicorum obſervandique iuſti ordinis cauſa victus in ſex claſſes diſpertitur, quarum deſignatio ſchedulis inſcripta in quovis aegrotantium cubiculo, in culina & promicondi receptaculo adfixa eſt.

Claſſis I. eſt inanis Diaeta, continens iuſcula ex hordeo, oryza, avena, glarea farinacea ſeu triticea, iuxta ordinationem vel aceto vel vino ſapida.

Claſſis II. Tenuis Diaeta, continens a) iuſcula modo dicta, cum aqua & pane albo cocta. b) Fructus horaei, poma, ceraſa, pruna & ſimilia, vel aqua vel pro ordinatione vino condita.

Claſſis III. Diaeta plenior, quae ad prandium & coenam porrigitur, continet. a) dicta iuſcula, aſt de carne & pane albo parata. b) Legumina varia, e. g. varia genera ſcorzonerae, vel paſtinacae ſativae, vel ſolana tuberoſa, paſtinaca remixta, vel legumina ex hordeo aut oryza. c) Poma varii generis cocta. d) Quatuor uncias panis ſimilaginei.

Claſſis IV. Prima portio vel quadrans. a) Iuſcula, legumina ac poma modo dicta. b) Duas uncias carnis vitulinae iurulentas. c) Sex uncias panis ſimilaginei. Ad coenam iuſculum.

Claſſis V. Secunda vel dimidia Portio. a) Eadem iuſcula ac legumina. b) Quatuor uncias carnis bovillae. c) Octodecim uncias panis albi. Ad coenam iuſculum & caro vitulina.

Claſſis VI. Tertia vel plena Portio. Eadem. Carnis vero bovillae ſex uncias & duodecim uncias panis ſecalini. Ad coenam iuſculum & caro vitulina.

Vinum eiusque menſura a Medico primario aegro ordinata, nec non diaeta & cibi portiones modo dictae

cuilibet aegro accomodatae a Medico adſiſtente minoribus ſchedulis inſcriptae Promo condo, rei culinariae Praefecto, Cellario, ad proſequendas ordinationes, quotidie adſignantur. Mane hora ſeptima aegris iuſculum ex oryza aut hordeo, vel de carne aliqua a Medico ordinata porriguntur. Hora undecima prandium conſtans eſt, uti hora ſexta coena. Ceterum omnis generis victus ad ſanationem neceſſarii a primario Medico ordinati porriguntur, vinum generoſum, lac, ova, poma, pruni, varii generis olera, & ſimilia. Directorum noſocomii ac Medicorum munus eſt, ut bonae ciborum praeparationi invigilent, ſaepius eos explorent, atque ſevere obſervent, ut ordinatum victum obtineat quilibet aeger.

§. 15.

Cuivis Medico, vel aliunde advenienti & iter profecuturo, qui inſtituti medendique rationem cognoſcere voluerit, vel Medicis tironibus in Academia noſtra ſtudiis operam navantibus ad noſocomium, immo conſtitutis ſcholae clinicae horis ad lectos aegrotantium acceſſus patet. Medicos tirones vero, qui ſcholam clinicam obire voluerint, quovis ineunte ſemeſtri coram Medico illam dirigenti ſe ſiſtant, neceſſe eſt, ut eorum nomina notet, animi ac corporis qualitates cognoſcat, eosque pro progreſſu in ſtudiis ac ſcientiae ratione in ſuas claſſes dividat. Etenim Medicinae ſtudioſi, clinicam noſtram ſcholam frequentantes commode dispertiuntur in duas claſſes, de quibus nuper in peculiari libello * diſſerui.

---

* *Ueber die kliniſche Anſtalt im Julius-Hoſpitale zu Würzburg.* Würzburg. In der Köliſchen Buchhandlung. 1798. 8vo.

I Classis quidem ſunt auſcultantes ſpectatoresve, morbi decurſum medendique methodum omnino aut ex parte obſervantes. Iis interim datum non eſt, ut naturam morbi & decurſum ad intrinſeca uſque perſcrutentur, curam moliantur, formulasque praeſcribant: hoc tantum, ut ſtatus morboſi phaenomena partim tanquam ſigna, partim ſymptomata noverint, eorumque differentias, mutationes, dignitatem, cauſas diverſas, earumque in corpore humano effectus internoſcant. Hacce variorum phaenomenorum, quae ſenſibus neceſſario adferuntur, obſervatione ac notione, ſtudium phyſiologiae non minus, quam Pathologiae & Semiotices maxime adiuvatur. Quin multa, oculis non ſubiecta, ratiocinio tantum aegre quandoque & perverſe prolecta, in ipſis naturae phaenomenis atque exemplis tutius aeque ac citius dignoſcet Medicus tiro, eoque conamine naturae ſcrutator levi arte aptus reddetur ad omnia cognoſcenda diiudicandaque. Sane notum, omnem ſcientiae noſtrae partem in exploranda natura praecipue vertere; & hac neglecta theoriae immenſa ſtudia atque librorum farrago anceps praebebunt adminiculum. Praeplacet ergo plurimorum in arte medica verſatorum ſententia, Medicum tironem mature ad lectos aegrotantium excoli debere, quo ſenſim ſenſimque ingenium atque iudicium ita acuitur, ut in quolibet morbo omnia, & occulta celerius perſpicere, comparare atque diiudicare valeat: virtutem, quam Medicus nec omni theoriae ſtudio, nec viribus mentis a natura donatis ſibi facile comparabit.

Qui igitur inſtituto clinico ut ſpectatores intereſſe voluerint, ut iam praeceptis phyſiologicis, pathologicis, ſemioticesque & pharmacologiae ſint imbuti, haud neceſſe eſt, dummodo has ſcientiae partes eodem ſemeſtri, quo ſcholam clinicam obire incipiunt, ſedulo excolant. Qui ſcholae praeeſt, huic primae audientium & ſpectantium

claſſi, ſi vel neceſſitas expoſcat, vel utilitas, exponet obſcuriora, omnique modo cavebit, ne methodus empirica invaleſcat, neque ſcientiae illae, quibus praxis medica nititur, a ſtudioſis negligantur.

II Claſſis ſunt praxin medicam in inſtituto clinico facientes, pro Medicis practicis habendi. His ſingulis ſingulorum aegrorum cura demandatur, pro inſtituti mox ſubſungenda ratione, ut ſcilicet ſcholae Director ſupremam ſibi curam vindicet.

Sunt vero leges generales:

1) Cubicula, ut ſanctuaria humanae naturae morbis adflictae, intrent, nec ſtrependo, nec alte vociferando patientes turbent. Atque hic loci cum decore & obſervantia erga miſeros ac Medicum dirigentem ſeſe gerant, aegros perhumaniter examinent, tractentque, ad omnia attendant, dirigentis Medici praeceptis obſequentes.

2) Pro inſtituti ratione traditos ſibi aegros debito amore proſequi & humanitate teneantur; cum Medico dirigente & ceteris praxin agentibus circa morbos deliberare, ſuamque ſententiam argumentaque modeſte proferre, nec obloquentibus aliudque ſuadentibus iraſci, nec alta vociferatione vehementique diſputatione tranquillum aegri ſtatum turbare oportet. Accedit, ut nihil exinde neque ars, neque Medicus tiro emolumenti capiat, immo vero eorum animus ad perluſtrandas res graviores turbetur, nec raro irae & invidiae accendatur ignis.

3) Neque minus hiſce in officio eſt, clinicum viſere indies, cum Medico dirigente aegros examinare, morbique, in quantum fieri poteſt, ſtatuere nomen, cauſas indagare, diagnoſin reddere, prognoſin & indicationem formare, medicamina in univerſum aeque, ac caſui

peculiari & praesenti convenientia proponere, formulam conscriptam examini publico subdere, regimen ordinare diaetamque, historiam postmodum morbi, latino scriptam sermone, stato tempore Medico dirigenti tradendam recitare, quae & a Medico dirigente & ceteris adsistentibus comprobata usui servetur. Si vero quis morbo correptus, aut aliis detentus causis, interesse clinico ad singulos dies nequeat, Medicum instituto praefectum hac de re faciat certiorem, qui desidi ullius aegri curam permittere iure dubitabit.

Scholae clinicae autem haec est ratio:

1) Singulis diebus ad horam octavam matutinam aegri a tironibus Medicum dirigentem concomitantibus strictissima observatione conditionum superiorum visuntur. Medicinae igitur studiosi nanciscuntur occasionem, aegros multifarios observandi in utroque cubiculo, altero masculini sexus, feminini altero: nec minus aditus ad aegrotos ibidem artifices & opifices, exanthematicosque duobus ab invicem cubiculis divisos, porro ad epilepticos maniacosque distinctis aedificiis cubiculisque separatos.

2) Singulo cuilibet tironi practico demandat Medicus dirigens aegrotantis unius curam & sanationem.

3) Praxeos tiro quisque adiuvante directore suum examinat aegrum; receptorum iam & quorum de morbo, qualis sit, constat, nulla perquisitio: nisi forsan de eo, quod aegroto acciderit, ex quo suprema vice videbatur. Aegri vero mox recipiendi interrogantur iuxta regulas ac ordinem, ita, ut non solum de morbi phaenomenis, sed & de quibusvis potentiis nocentibus, quae ad praesentem morbum valuisse videntur, certo constet: uti etiam de omni vita ante acta, deque causis, duratione

& morbi natura. Nec enim ſufficit, ſymptomata tantum morbi cuiusdam advertere; ſed & potentiarum nocentium agmen reſpiciatur, neceſſe eſt, quippe quo natura morbi cuiusdam ſaepius, quam ex univerſis phaenomenis, atque tutius intelligitur.

4) Examine quum recens receptorum tum etiam dudum curae adſcriptorum peracto, iam ſententia cuivis tironi publice ferenda, indicationes ſuis argumentis ſtipatae reddendae, & ceterorum iudicio practicorum relinquendae; qui, cum Medico dirigente deliberantes, rationibus ultro citroque prolatis, naturam morbi indagaturi debito modo ſymptomata circumſpiciunt, reſpectu tamen habito ad potentias concurrentes, annuam tempeſtatem, graſſantem conſtitutionem epidemicam, individui cuiusvis temperamentum, idioſyncraſiam, conſuetudinem, aliasque cauſas, partim remotas, partim proximas. Hinc morbum, quoad eius fieri poteſt, determinare, complicationem exponere, & hisce momentis indicationes curandi redditas aut confirmare, aut circumſcribere, aut denique reiicere, aut corrigere ſatagunt.

5) Indicatione curativa, argumentis ſuffulta confirmataque, Medicus tiro medicamina omnia ad morbum hunc peculiarem tollendum apta proponit. Eligit poſtmodum ex his caſui praeſenti convenientiſſima & individuo, cuius curam molitur, aptiſſima, eaque ſufficienti ratione & argumentis ſuffulcit. Neque minus hic, quare aliud alii medicamini praelatum ſit, firmo argumentorum robore peragendum eſt. Tum etiam referenda ratio repudiati medicaminis, eidem, ut videtur, reſpondentis indicationi. Dubia deſuper orta proponere, & fateri ſententiam, cuique liberum. Hoc itaque modo medicamenta recens laudata, aut dudum nota, experimenti gratia eorumque determinandae virtutis, adhiberi poſſunt.

Pronum ergo, licitis experimentis & obſervationibus in medicaminum inquirere virtutes. Nec ulla pretii medicamentorum atque diaeteticorum remediorum ratio habetur, dummodo aegro conducant, ſanationemve accelerent. Propoſita tamen medicamina utrum rationi reſpondeant experientiaeque, an contra non niſi cum vitae aegrotantis futuraeque ſanitatis iactura adhiberi poſſint, Medicus dirigens intelliget.

6) Remedia propoſita comprobataque iam chartae mandantur, i. e. conſcribitur formula. Forma exhibendi medicaminis arbitraria; dummodo commode ab aegro poſſit ingeri, & compoſitio praeceptis chymicorum, formularum ſcribendarum methodo, doſique medicamentorum haud contraria ſit. Formula conſcripta praeſentium examini ſubiicitur, vitiaque cuivis licet reprehendere, ceterum corrigenda. Iam vero naevis repurgata, a Medico dirigente ſubſcripto nomine comprobata in librum formulis dicatum ab eius adſiſtente in noſocomii aedibus habitante reſcribitur, in officinam eiusdem inſtituti, ut conficiatur, mittenda. Denique formulae omni & dies ordinationis & nomen quum aegri, tum ordinantis, adſcribatur.

Remedia externa, e. c. veſicantia & venaeſectiones ordinata, adſiſtens modo nominatus per adiunctos in hoc ipſum ſocios curabit adminiſtranda.

7) Quum autem, ſola medicamina ſanando aegro, aut etiam levando non ſufficere, ſatis conſtet; ſed frequentius omnis ſanandi ars ad placita diaetetices redeat; conſequens eſt, ut a quovis praxeos tirone, tradito ſibi aegro, prius etiam, quam fiat formula, diaeta praecipiatur, a Medico ſcholae clinicae praefecto dein curatius definienda. Diaeta tabulis in hunc uſum impreſſis ab adſiſtente perſcribitur, quae, uti alia, eo invigilante, per famulos ac famulas perficienda curantur.

8) Quilibet Neo-practicus aegri ſuae curae traditi hiſtoriae morbi, eiusque latino ſermone componendae, indicationis, prognoſeos, medendique rationis & diaetae, & plurimarum rerum advertendarum, poſthac publice, interpoſito temporis ſpatio, recitandarum, munus in ſe ſuſcipit. Morbi acuti hiſtoria literis mandata ſtatim poſtridie, quam aeger receptus eſt, adferatur; in chronicis vero hiſtoriae tradendae tempus Medicus dirigens ſtatuit. Ulterior morbi decurſus a quovis ſingulis notandus diebus, ut aegro perſanato, vel ut inſanabili dimiſſo, vel etiam mortuo, totus tamen morbi decurſus pateat.

9) Morbi hiſtoria, additis medicaminibus praeſcriptis, eiusque continuatio a practicis duobus, in quamvis hebdomadam conſtitutis, tironibus, ſecretariorum munus agentibus, queis ceteri morborum hiſtorias reddere tenentur, earumque continuationes, diario plagulis diſtincto inſcribitur.

Secretariis hisce noſtris quam maxima accuratione & legitima rerum conſequentia quaevis hiſtoria deſcribenda; item obſervandi aegri, ut ne quotidianae mutationes praetermittantur, ſaltim, ne mutilae habeantur; porro videndum, nequa fraus & ſpuriae relationes contaminent obſervationem. Ceterum Medicus inſtituto clinico praefectus inferendas Diario hiſtorias examini ſubmittet rigoroſo.

Huic operi Medicus dirigens eos ſeliget, qui ſemeſtri ſaltim uno in ſchola clinica praxin fecerunt. Ex omnibus hisce iam patet, tirones Medicos in triplicem claſſem in noſtro inſtituto eſſe diviſos:

I. Auſcultantes;

II. Practicos, qui nempe per dimidium annum inſtitutum inviſere, & nunc aegrotantes ipſimet tractant;

III. Qui per dimidium annum & ultra Practicorum munere fungebantur, & ad quos alternis per hebdomadas vicibus Secretariorum munus in tironum utilitatem & obſervationum accurationem defertur.

10) Medicus Clinico praefectus, ut Diarium quam fit abfolutiffimum, curabit; coeli ergo temperiem, graffantis morbi conftitutionem, epidemicas adfectiones, earumque naturam & decurfum & proprietates fingulis notatas menfibus adiiciet.

11) In quemvis aegrum cuiusvis cubiculi plagula Diario inferenda, in qua lecti numerus, aegri nomen, dies receptionis, morbi hiftoria, medendique methodus, aliaque notata. Qui fi diutius pro unius plagulae fpatio remaneat, hiftoria pluribus plagulis fuperiori adnexis continuatur. Denique plagulae fingularis pagina additur, fpecialibus, quae in ordinem venire nequeunt reliquarum, adnotandis.

12) Siquis aeger moriatur, petentibus Medicis tironibus diiudicanteque neceffariam Directore, fectio cadaveris; quae antequam inftituatur, morbi recitatur hiftoria, cui inventa forfitan nova adiiciuntur, iam tum reponenda in Diario.

Ceterum Medicus director & Adfiftens continuo providebunt, ut munditles cubiculorum fervetur, ordo in exfequendis praeceptis atque accuratio maxima vigeat, ne quid Medici tirones practici, ne quid famulae peccent famulique, fed cum cura & probitate cuncta peragantur.

Denique in hoc inftituto neque ullius fyftematis, neque methodi peculiaris habebitur ratio a nobis, naturam ducem & leges organismi animalis fequentibus. Non ulla ingenio & rationi vincula. Disquirant, quibus placet cunque, & agant ex principiis: modo opiniones rationibus roborent, & fubiiciant examini, ut probandas, corrigendas, reiiciendas, utque adpareat, methodus peculiaris rationi, legibus organismi animalis & experientiae utrum, nec ne, correfpondeat.

OBSERVATIONES
MEDICAE.

A

APRILIS.

Mensis hic initio frigidus et ventosus fuit. Ad 3tiam et 4tam diem pluviosa tempestas, cui successit serenum, siccum, calidum tempus. Ad 10mam et ultra ingrate ventosum ac frigidum. Ad 19nam calidum, quo nubibus pluviam minantibus obtectum adparuit coelum, immo pluvia per duos dies subsequebatur. A 21ma ad finem fere usque ventosa, frigida, serena ac sicca tempestas, exceptis ultimis tribus diebus, qui calidi ac sereni fuere. Die 29na vesperi parca pluvia, mox dissipata vento.

Catarrhi, rheumatismi, pleuritides, peripneumoniae, haemoptyses, anginae, ophthalmiae fuere ad finem usque huius mensis morbi frequentissimi. Verum in fine continuabant morbi doloribus artuum rheumaticis iuncti, et febres catarrhales, quibus accessere intermittentes tertianae. Tertianam duplicatam una vice tantum observavi.

Febres catarrhales omnium frequentissimae et epidemice fere grassantes, ut plurimum horripilatione, nonnullos horrore, quem calor mox excipit, invadunt. Per plures saepius dies ingratus frigoris fugitivi sensus artus perrepit, ingenti lassitudine ac doloribus lancinantibus adfectos. Cutis calida, arida, remittente autem febre humida, laxa, cum universi corporis sudore mox erumpente ac aegros multum levante. Per noctes inquieti, subinde phantasia ac deliriis turbati. Gravissimus capitis dolor saepe est, quasi caput dissiliret. Dolor hic modo occiput, modo tempora, modo faciem, subinde

frontem, non raro etiam totum caput atrociter adfligit, ſtatasque periodos, quibus acrius inſtat, praecipue ad veſperam febre exacerbeſcente obſervat. Subinde, tuſſi praeſertim urgente, adfuit faciei rubor, oculorum ſcintillatio, lacrymatio, vertigo, aurium ſuſurrus.

Lingua in nonnullis maiore febris gradu detentis arida, rubra, in aliis muco albo obtecta ac humida. Faucium ac tonſillarum, angina accedente, tumor, rubor, dolor atque ardor, deglutitionis difficultatem reddentes. Raucedo, pectoris anguſtatio, paſſim in reſpirando difficultas; ſubinde in pectore dolores vagi, pungentes; tuſſis frequens, vehemens, totum corpus concutiens, inanis, titillantis ſaepius in trachea aut bronchiis, aut ipſis pulmonibus ſtimuli ſenſu percepto excitata. Sputa vacua, tenuia, ſpumoſa. Pulſus frequens, mollis, in delicatulis et parvus. Ventriculi dolor tuſſi auctus, non nunquam vomituritio, et inter tuſſis vehementiam, accedente ſpaſtica quaſi pectoris conſtrictione ac commotione, vomitus ſaepius inanes, mucoſi. Adpetitus omnino proſtratus. Sitis. Hypochondria ſi non tenſa ac elevata, ſaltem tuſſis inſultu dolentia, quae aeger manibus ſuis valide compreſſa minus dolere putat, idque leniminis efflagitat. Subinde borborygmi, flatus, mox inter imi ventris colicos dolores ſuborta diarrhoea nil niſi aquoſa evacuantur maiore cum debilitatis ſenſu. Urinam ab initio, febre vigente, videmus rubram; ea remittente, naturaliter tinctam.

Morbus pedetentim increvit, diuque aegros excuſſit, qui tardius iuſto convaluerunt omnino. Per tres quaterve, immo per ſex hebdomadas, febre quidem primis diebus ſublata per remedia refrigerantia, leniter diaphoretica, potusque copioſiores et

tepidos, continuavit tuſſis vehemens vere ſpaſtica, cum conſtrictione ac oppreſſione thoracis atque hypochondriacae regionis dolore. In aliis, febre ſubacta, mox ſputa ſubſequebantur copioſa, tenacia, puriformia, ſic dicta cocta, atque viſcidi ſudores.

Hac ſub conditione aegri verſantes citius iuſto convaluere: in aliis, qui tardius, ſputa adparebant tenuia et ſpumoſa.

Morbum hunc in pleuritidem ac peripneumoniam veram eſſe pronum, in easque et aegros fata ſua minus curantes incidiſſe, haud infrequenter obſervavi. Remediis autem antiphlogiſticis ac ſudoriferis, diaeta ſtricte tenui, leniterque diaphoretico regimine arcebantur mala, indeque omne evanuit periculum. Subinde et febrem catarrhalem nervoſam animadverti, praecipue in teneris ac delicatulis, aut in iis, qui nimio debilitantium uſu vel morbis praegreſſis vel aliis potentiis nocentibus labefactati fuerunt. Exemplum mox in Hiſtoria Ima exponam.

Febre disparente, calore ac ſiti imminutis, reſpiratione libera, pulſu tardo ac molli, inſtante autem dolore lateris pungente ac tuſſi ſicca exhibui partitis doſibus excitantia. Inde quum tam ſputa copioſa, puriformia, cocta, quam ſudor viſcidus ſubſequerentur, veſicatorium ad latus dolens, linimentum volatile camphoratum pectori inungendum, vapores tepidos ad inſpirandum, interne ſumenda antimonialia, opium, camphoram &c. praecepi. Eiusmodi remedia copioſis potibus leniter excitantibus, raro mucilaginoſis propinabantur. Diarrhoeam aquoſam paſſim accedentem, aegros ſumme debilitantem, pulvis Doweri inhibuit.

Eadem tempeſtate graſſabantur rheumatiſmi in acutos proni. Febris valida, pulſus frequens et

fortis, calor, ſitis multa, per artuum muſculos dolores vagi lancinantes ſine tumore. Subinde lumbago ac iſchias: modo etiam dolor occiput, ſcapulas,ac muſculos thoracis adfecit, ut ideo pleuritidem mentirentur. Febri huic medebantur diaphoretica refrigerantia ſic dicta, infuſum flor.ſambuci, vin. antimon. Huxhami, ſpir. Mindereri, omniaque ea, quae ſudores blande ſollicitant.

Febre autem mitigata profuere ſpiritus Mindereri cum tinctura thebaica, ac veſicatorium ad partem dolentem adplicatum.

Hacce tractandi methodo intra ſeptem fere dies morbus profligabatur.

In ophthalmiis eadem fere methodo ac in rheumatiſmis uſus ſum. Quum vero morbum ob adnexos artuum dolores lancinantes rheumatiſmum univerſalem peculiari tantum oculorum adfectione concomitatum cenſuerimus, remedia plerumque univerſalia, interne aſſumenda, exhibuimus, ea tamen cautela, ut omnia, quae oculos irritant, e. g. ſolis radii, ſollicite amoveremus. Profligata febre ac phlogiſtica diatheſi, in quam ſaltem ophthalmia facile vergere potuit, praeexiſtente adhuc oculorum rubore, tandem remedia leniter excitantia oculis ipſis adplicavimus ad promovendam vaſorum oſcillationem, qua excitata inflammatio, a topica debilitate vaſorum ſuperſtes, facile diſſipabatur. Itaque oculis adhibuimus camphoram flor. chamomillae admixtam in forma embrocationis ſiccae, ſolutionem vitrioli albi ad grana XV. in aquae uncia una oculi palpebrae infricandam, tincturam thebaicam guttatim oculis inſtillandam, et ſimilia.

In aegris pleuritide ac peripneumonia detentis varia vidimus ſymptomata. Praeceſſerunt per aliquot dies, immo ſeptimanas, catarrhoſa ſupra de-

ſcripta diſpoſitio, vel ipſa febris, inquietudo, inſomnia, ſudores nocturni: ſucceſſit tandem horror, ſubſequente continuo ac ardente calore, oppreſſio pectoris, vel conſtrictio, vel anguſtatio, vel dolor in alterutro latere thoracis punctorius, inter reſpirandum tuſſiendumque auctus. Tuſſicula ſicca, aut ſputo tenui ac ſpumoſo humida, ſubinde et ſtriis ſanguineis remixto. Reſpiratio difficilis, brevis, accelerata. Fuere, qui ſolummodo de anguſta reſpiratione et valida pectoris oppreſſione quererentur, pulſum frequentem, fortem ac durum Medici tactui exhibentes. Facies rubra. Oculi rutilantes. Albi oculorum vaſa ſeroſa ſubinde ſanguine tincta. Dolor capitis gravativus, tuſſi exaſperatus. Lingua arida et rubra, in nonnullis minus gravatis humida ac muco obducta. Sitis ingens. Viſcerum abdominalium functio integra. Alvus tantummodo tarda nonniſi clyſmatibus emollientibus ſollicitata. Urina laete rubeſcens. Pulſus frequens, plenus et durus. Febris continua fuit, ad veſperam autem omnia ſymptomata ſunt exaſperata.

Duravit morbi vigor in aegris, qui ſtatim in morbi principio opem noſtram imploravere, quinque, ſeptem, ac undecim dies: quatuordecim autem dies et vltra decubuere, vixque niſi felici fato evaſere, qui vel perverſe tractabantur, aut nimia venae ſectione, aut ſtimulantibus, aut purgantibus, vel nulla omnino medicina utebantur. His enim rebus omnia mala graviora reddebantur; pulſus celerior, humilis, repens, anxietates magnae et calor intenſior.

A purgantibus ſaepius aut nihil aut parum emolumenti retulerunt: plerique peius ſe, aucta ſcilicet febre, habuere. Unde facile coniicies, purgantia, quamvis debilitent, remedia eſſe omnino

incongrua ad inflammationem dissipandam. Transeo stimulantia, e. g. haustus vini, et similia, quae ad profligandam spuriam febris incessu perceptam lassitudinem ac sitim a plebe saepius adhibentur, augentque, addito hoc novo stimulo, inflammationem adeo, ut exsuperante irritatione vires universi corporis exhauriantur. Vasa hinc pulmonalia amittunt motum oscillatorium; debilitas instat sic dicta indirecta, et morbus vel in gangraenam vel in hydrothoracem vergit, vel aeger exhaustis viribus moritur. Felix ars, si ita moderare stimulum valeat, ut inflammationis nunc a debilitate ortae (seu passivae seu asthenicae) benignae resolutionis adfulgeat spes, ut ex Historia II. patet.

Princeps remedium in morbo hoc inflammatorio fuit venae sectio, larga incisione in brachio lateris dolentis instituta, aegri viribus morbique vehementiae adcommodata. Parvae, nisi saepius repetitae venae sectiones, redeuntibus inflammationis signis, e. g. tussicula sicca, dolore lateris punctorio, pulsu duro aliisque, ut vix leniminis quid adtulere; ita iusto largioribus vires vitales exhauriebantur, debilitasque directa arcessebatur, qua orta omnis benignae resolutionis spes evanuit. Perversam hanc methodum sequebantur pulsus celeres, debiles, parvi, qui vel levissime prementem digitum facile eliderent, mentis vacillatio, aurium susurrus, faciei pallor, respiratio anxia, brevis, accelerata, animi ac corporis summa deiectio atque prostratio, cutis arida et sicca, urina limpida, sputa nulla.

Hac in debilitate per malam artem suscitata, aut aberrante natura per narium haemorrhagias, ob solidorum inertiam ortasque inde in pulmonibus humorum stases in subsidium vocavimus exci-

tantia; inter quae veſicantia eximium praeſtitere auxilium: porro camphora, opium, ſerpentaria, china, et reliqua. Vide Hiſtoriam III. VII.

Praeter venae ſectionem pro indicatione repetitam atque ratione inſtitutam, qua tempeſtive facta vel aeger celerrime convaluit, vel ſummum ſemper levamen ſenſit, ſuffecere ad curationem perfectam decocta tepida, mucilaginoſa e decocto hordei, altheae, graminis cum melle et aceto. In morbo tamen graviore ſubinde et nitrum ea doſi adhibuimus, ne alvum ſollicitaret, quam potius clyſmatibus laxam retinere adlaboravimus.

Aucto dolore pungente ſubinde cataplaſmata emollientia cum ſapone veneto ad locum dolentem adplicuimus.

Quibus rite obſervatis morbus mox ad benignam reſolutionem vergebat, aut ſputis copioſis tenacibus puriformibus, ſic dictis coctis, tuſſi leni exſcreatis, aut ſputis et ſudore, nunquam hoc ſolo.

Veſicantibus in ſtatu inflammatorio haud utebamur; novo quippe ſtimulo febris facile augebatur. Aſt vena ſecta, diatheſi inflammatoria et febre remittentibus, pulſu debili ac parvo, veſicantia ad locum parum adhuc dolentem adplicata miros effectus edebant, quibus, inflammatione ablata, dum morbi characterem in nervoſum facile immutari obſervavimus, medicamina excitantia, opium, camphoram cum antimonialibus adiunximus. Hinc ſputa promovebantur cocta et ſudor, morbusque conſtanter atque ſecure omnino ſolutus fuit, quae, ut et ſupra iam dicta, Hiſtoria IVta demonſtrabit.

Eodem temporis ſtadio, ubi pleuritides et peripneumonias obſervavi, haud infrequens morbus fuit Haemoptyſis. Duplicem certe ſpeciem animad-

verti: alteram inflammatoriam, ſeu activam vel ſthenicam; ortam a debilitate alteram, ſeu paſſivam vel aſthenicam.

Inflammatoria iisdem adparuit ſymptomatibus ac peripneumonia. Eaedem potentiae nocentes, nimis incitantes, vegeta robuſtaque corporis dispoſitio atque opportunitas praeceſſerant, eandemque poſtulavit tractandi methodum Haemoptyſis. Minus itaque bini hi morbi a ſe invicem differebant, eandemque, ſi rei naturam ſpectes, conſtituebant aegritudinem, diverſi tantum copia ſanguinis exſcreati, floridi, ſpumoſi. Vide Hiſtoriam Vtam.

Aliud diſcrimen, quod obſervavi, eſt, quod Haemoptoici ſanguinis venae ſectione emiſſi iacturam aegre tulerint, quam Peripneumonici ſummo emolumento ſuo fecerunt. Quare venae ſectionem cautiſſime ſemper et parcam inſtitui, et pro indicatione repetii. Larga enim aut, quod peius, immodica in ſummam debilitatem detruſit aegros, et quo maior virium proſtratio, eo plus adfuit periculi. Adparebant ſtatim varia nervoſi ſtatus ſymptomata; ſputa ſanguinea ſummo labore eiecta; increvit anxietas et reſpirandi difficultas; acceſſerunt lipothymia, vertigo, aurium ſuſurrus, dedolatio, frigus extremorum, pulſus debiles, parvi, repentes, et ſic omnis benignae reſolutionis ſpes evanuit, excitantibus tandem, veſicatorio, camphora, opio reſuſcitata. Neglectis vero iisdem remediis, ac congruo tempore haud adhibitis, aeger irreparabili tabe haud multo poſt conſumtus fuit.

Haemoptyſin alteram a debilitate ortam ſeu paſſivam haud difficulter ab inflammatoria diſcrevi. Tam potentiae praegreſſae debilitantes, morbi duratio atque tractandi methodus, habitusque corporis, quam praeſentia ſymptomata ad diagnoſin plurimum

contulere. Praecesserant venae sectiones, quae sine omni indicatione in qualibet haemoptysi tumultuarie adhiberi solent, vel sumserant iam aegri haustum salinum, decocta emollientia, atque similia. Et absente etiam ea opportunitate per artem facta, iam e vivendi ratione miserrima, gracili ac iunceo corporis habitu, fibra delicata et perquam irritabili, qua forsan iam a nativitate praediti erant, aut e morbis praegressis atque praesentibus phaenomenis iudicavi, hac in haemoptyseos specie aut conditione corpus non magis esse debilitandum. Hinc iure ab omni venae sectione ac remediis debilitantibus abstinui, et potius excitantibus, praesertim opio, subinde camphora, aegros ad pristinam sanitatem reduxi, cuius exemplum in Historia VIta legere est.

Praeter dictas has conditiones aderant in nonnullis pallor faciei ac labiorum, summa virium prostratio, lipothymiae, sputa copiosa florido sanguine ac spumoso penitus tincta, pulsus frequentes, celeres, parvi, repentes ac debiles, qui vel levissime prementem digitum facile eliderent; frigus extremorum, tussicula sicca, levis lateris dolor pungens, horripilationes, aurium tinnitus, insomnia, blanda deliria, situs fere semper ad idem latus, corpore ad pedes quasi convoluto, alvus clausa, vel diarrhoea aquosa, urina limpida.

Historia I.

Margaretha Geringen, Sulzfeldensis, annorum 59, per plurimum vitae spatium servili addicta muneri, corpore emaciata, debilis, nullo per vitam infestata morbo, nisi aestate 1797, ubi febre, ut ait, acuta per tres menses decubuit, indeque per

tres alios menſes ſudore nocturno continue profuſo adflicta, magnam virium iacturam utique experta eſt, quas modo pedetentim reparare licuit. Die 9na inſultui febrili denuo ſuccubuit. Incuſat inde continuum ardorem, horripilatione interruptum, ſitim continuam, tuſſim moleſtam, ſiccam, dolorem, qui totum perſtringat thoracem, reſpirationem difficilem, cibi adpetitum proſtratum, laſſitudinem, dolorem caput prementem artusque lancinantem. Continuantibus hisce ſymptomatibus adiit die 15ta Aprilis noſodochium.

Reperitur inſimul praeter dicta phaenomena pulſus intermittens, inaequalis, debilis, cutis arida, lingua ſicca, in eius dorſo ſtria muci flaveſcentis, hypochondria mollia tuſſis ſiccae ac frequentis inſultu dolentia, pectoris oppreſſio, anxietas. Ordinabantur leniter excitantia.

℞. Aq. flor. ſambuc. Uncias ſeptem.
Vin. antim. Huxham. Drachmas duas.
Tinct. thebaic. Dr. ſemis.
Roob. ſambuc. Unciam ſemis.
Mel. dep. Unciam unam.
MDS. Omni hora cochlear magnum.

Pro potu ordinario decoctum ſpecierum emollientium cum oxymelle.

Die 16ta ſymptomata eadem: ſputa pituitoſa et aquoſa leni conatu exſcreantur. Per noctem ſudor. Sub initio noctis delirium mite. Ceterum cuncta ſe aequo perferre animo, aegra refert. Inſuper accedunt dolor capitis, ſomnolentia, vertigo, ſuſurrus aurium, elevatio angulorum oris tremula, ſumma pectoris oppreſſio, tuſſicula ſicca omni fere inſpiratione excitata, virium proſtratio, inquietudo, faciei ſumma macies, pulſus frequentes, inaequales, intermittentes et debiles. Praeſcribitur ſequens:

℞. Camph. raſ. Scrup. unum.
Mucil. gum. arab. trit. Unc. ſemis.
Syrup. emulſiv. Unc. unam et dimid.
Aq. font. Unc. octo.
MDS. Omni hora duo cochlearia.
Diaeta tenuis cum vino.
Pro potu vinum, aqua dilutum.

Die 17ma. Per noctem quies reficiens, ſomnolentia nulla, ſitis modica, lingua purior, aurium ſuſurrus nullus, ſputa exſcreatu facilia, pulſus plenior, minus ac pridie inaequalis, minusque intermittens. Excreta naturalibus accedunt. Cutis mador. Remedia ac diaeta eadem.

Die 18va. Tuſſis exacerbans, inanis fere, nox inquieta; mentis obnubilatio, vix non fatuitas; ſedes nulla, pulſus frequens et debilis, reſpiratio liberior, ſputa puriformia; cetera ſymptomata vel evanida vel mitia. Hinc ſequentia:

℞. Pulv. rad. valerian. ſylv. Unc. dimid.
Infund. aq. fervid. Unc. ſeptem.
col. in colatur. diſſolv.
Extract. cort. peruv. Dr. duas. Adde
Liq. anod. min. Hof. Drach. dimid.
Syrup. cort. aurant. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio vaſculum dimidium.
Porro ſumat aegra mane et veſpere dimidium opii granum. Alvus clyſmate ſolvatur.
Diaeta eadem.

Die 19na. Nox quieta. Ceſſerunt et tuſſis et ſputa puriformia; nec niſi perturbatio ſenſorii ſuperſtes fuit et ſumma debilitas. Succeſſit ſudor per omnes partes adparens et recreans. Reliqua ſymptomata ſopita, ac vires magis reſtauratae videbantur.

Remediis iisdem per plures dies continuatis omnia ſymptomata ſenſim ſenſimque disparuere, et aegra, quum ſentiret vires reſtitutas, maioremque corporis firmitatem victu nutriente nacta eſſet, noſodochium die 3tia Maii reliquit.

Sorg.

Hiſtoria II.

Ioſephus Faulſtich, Rottendorfenſis, famulus ruſticus 20 annorum, corpore ſat valido, benignaque ſemper gaudebat ſanitate, vitam vivens laborioſam, victuque copioſo ac nutriente uſus. 27ma Martii ruri inter labores ſubitanea correptus horripilatione, ſubſequente calore, corporis laſſitudine, dolore ad dextrum pectoris latus pungente, anxietate, tuſſicula, domum repetere coactus fuit. Quibus ſymptomatibus auctis, ſitique exurente quum multum hauſiſſet aquae frigidae, lecto detentus fuit. Nox inquieta. 28va. Symptomata exaſperabantur. Tuſſis frequentior cum ſputis tenacibus et ſanguine ſtriatis, reſpiratio difficilis et frequens, decubitus in utroque thoracis latere non moleſtus. Hauſit eadem die dimidiam cereviſiae menſuram. 29na. Symptomata eadem; aſt ſumta parva vini quantitate augebantur. — Medicamine quodam alvus aliquoties ſollicitabatur. Nox quieta. 30ma. Symptomata venae ſectione haud larga imminuebantur. 31ma. Tuſſis a generoſo vino denuo aſſumto adaucta: ſputa magis ſanguinea. Nox valde inquieta. 1ma Aprilis conditio eadem; maioris debilitatis ſenſus. 2da. Status idem. 3tia. Eadem ſymptomata, magisque urgentia. 4ta Aprilis veſpere in noſocomium delatus querebatur de dolore ad dextrum pectoris latus punctorio, quem tuſſis multum adau-

xit, de titillatione tracheae conatum ad tuſſim frequentem excitante. Sputa adparuere flava, pauco ſanguine tincta. Reſpiratio brevis, frequens, anxia. Pulſus frequens, magnus et fere fortis, calor magnus, cutis arida, genarum rubor, ſitis multa, lingua humida et muco albeſcente obducta, adpetitus nullus, abdomen tumidum, alvus clauſa. Praeſcribitur illi:

℞. Aq. font. Unc. octo.
Pulv. gum. arab. Dr. tres.
Syrup. diacod. Unc. unam.
MDS. Capiat omni hora Unciam ſemis.

Pro potu exhibeatur decoctum hordei cum oxymelle.

Diaeta inanis ſine vino.

Clyſma emolliens.

5ta Aprilis. Nox inquieta. Mane ſymptomata fere eadem, calor parum imminutus, bina alvi excretio clyſmate promota. Urina rubra et cruda. Ordinatur:

℞. Aq. fontan. Unc. ſex.
Nitri depurat. Scrup. duos.
Syrup. emulſiv. Unc. unam.
MDS. Capiat omni hora unciam ſemis.

Adplicentur ad partem dolentem ſex hirudines.

Diaeta eadem inanis.

Veſpere. Hirudines multum ſanguinis detraxerant: dolor pectoris imminutus, reſpiratio brevior, difficilior, pulſus fortior, et frequentior et celerior, ſputum flaveſcens, ſitis magna.

6ta Aprilis. Aeger non quievit. Reſpiratio difficilis, brevis et fere inanis, dolor pectoris nullus, pulſus frequens, celer et fortis, ſputa cruda et parca, colore fuſca, ſanguine non tincta: dolor capitis preſſorius, obtuſus, diplopia, aurium tinni-

tus, lingua parum humida, muco obtecta, genae rubrae, calor magnus, cutis arida, ſitis magna, adpetitus proſtratus; ſummae debilitatis ſenſus; alvus ſemel depoſita; urina rubra et cruda. Praeſcribitur:

℞. Camphorae mucilag. gum. arab.
q. ſ. bene ſubact. Scrup. unum.
Aq. fontan. Unc. ſex.
Syrup. diacod. Unc. unam.
MDS. Omni hora capiat duo cochlearia.
Adplicetur ad pectus veſicans.
Iuſculum nutriens cum ovo pro diaeta.

Veſpere parva exacerbatio.

7ma Aprilis. Nox valde inquieta; dolor lateris nullus; reſpiratio difficilior, brevis et anxia; tuſſis pene nulla; ſputa parca, flaveſcentia, ſanguine tincta: pulſus frequens, celer et debilis; calor auctus; interdum ſudor ad frontem et manus; adpetitus nullus; ſitis magna; lingua ſicca muco obducta. Semel alvum depoſuit. Urina cruda. Repetatur medicina ut die 6ta et

℞. Aq. fontan. Unc. octo.
Laud. liquid. Sydenh. Scrup. unum.
Syrup. emulſiv. Unc. unam.
Alternatim cum Mixtura camphorata ſumat omni hora Unciam dimidiam.
Iuſculum carnis cum ovo.

Veſpere. Symptomata eadem. Parcum ſanguinis ſtillicidium per narem ſiniſtram.

8va Aprilis. Non dormivit aeger. Mane ſopor; reſpiratio difficilior, brevis, accelerata; tuſſis frequentior; ſputa flaveſcentia, ſanguine tincta; dolor lateris nullus; pulſus frequens, celer et debilis; ſudor copioſus; aurium tinnitus; oculorum ſcintillae; abdomen tumidum, murmura ventris, ad

adtactum dolentis; semel alvum aquosam deposuit. Repetatur medicina ex camphora. Diaeta eadem.

Vespere. Pulsus magis fortis et plenior; respiratio minus laboriosa; adpetitus: murmura abdominis disparent. Hora 8va corripitur horripilatione, quam excipit calor et sudor.

9na Aprilis. Dormivit aeger. Mane dolor adest parvus pressorius, praecordia et utrumque hypochondrium occupans; respiratio minus difficilis, nec tam brevis; pulsus frequentia imminuti, molles et pleni; sitis parca; lingua humida; sputa albescentia, magis cocta et copiosa; bina excretio alvi foetida et aquosa. Praescribitur:

℞. Rad. polygal. seneg. Dr. duas.
Lichen. Island. Dr. tres.
coq. c. s. q. aq. Colat. Unc. octo adde
Syrup. diacod. Unc. unam.
MDS. Sumat omni hora unciam semis.

et ℞. Lichen. Island. Unc. duas.
Rad. altheae. Unc. unam.
MDS. Species pro potu.

Diaeta magis nutriens, portio scilicet quadrans.

Vespere. Sanguinis stillicidium per narem sinistram cum levamine; cutis humida; calor fere naturalis.

10ma Aprilis. Quievit aeger. Dolor lateris nullus; respiratio facilis et tarda; pulsus mollis, plenus et fere tardus; tussis pauca; sputa cocta et copiosa; lingua humida; sitis parca; calor mitis; cutis mollis et humida; bina alvi excretio. Repetatur medicina. Diaeta eadem.

Vespere. Queritur aeger de magna artuum lassitudine. Exhibetur:

℞. Pulv. rad. Ipecacuanh. Gr. quadrans.
Opii puri. Gran. dimid.
Sach. alb. Gran. decem.
MD.

11ma Aprilis. Bene dormivit aeger. Omnia in melius vergunt ſymptomata. Praeſcribitur:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. ſemis.
Rad. polygal. amar. Drach. duas.
coq. in ſ. q. aquae. Colat. Unc. octo adde
Mel. optimi Unc. unam.
MDS. Sumat omni hora unciam ſemis.
Repet. ſpecies pro potu ex lichene, uti 9na.
Diaeta eadem.

12ma Aprilis. Bene quievit. Res in dies melius procedit. Repetatur medicina. Diaeta eadem.

13tia Aprilis. Bene dormivit. Mane conqueritur de magna corporis laſſitudine et aurium tinnitu. Reſpiratio neutiquam adfecta; pulſus rarus plenus; tuſſis nulla. Ordinatur:

℞. Pulv. rad. Valerian. Drach. ſex.
infund. in aq. ferv. Unc. octo. Colat. adde
Extract. cort. peruv. Dr. duas.
Mel. optim. Unc. unam.
MDS. Sumat omni hora unciam ſemis.
Repet. Species pro potu ex lichene. Diaeta eadem.
Veſpere. Bene ſe habet.

14ta Aprilis. Bene dormivit, et ſeſe bene habere adfirmat. Functiones obſervantur naturales. Repetatur medicina. Diaeta nutriens cum dimidia vini menſura.

15ta Aprilis. Bene quievit, ſeſeque magis magisque roboratum ſentit. Ne minima quidem adeſt pectoris adfectio. Sic omnino reſtitutus 29na Aprilis noſocomium reliquit.

Reuſs.

Hiſtoria III.

Ioſephus Roſenhoefer, 18 annorum, figulus, Sternbergenſis, 7ma Aprilis ſine cauſa occaſionali, (flantes hoc tempore ventos boreales ſi excipias, qui per dies calida mox alternabant tempeſtate,) veſperi ſubitaneo horrore inſigni corripiebatur, ſubſequente calore atque ſat largo ſudore. Nox inquieta. 8va. Calor vehemens, artuum laſſitudo, caput occupatum, dolor lateris dextri punctorius, tuſſicula ſputis ſanguine florido et ſpumoſo intermixtis, vomendi conatus, ſitis magna, nox inquieta, alvus clauſa.

9na Aprilis. Dolore lateris punctorio increſcente inſtituebatur a Chirurgo quodam venae ſectio ad libram unam, qua in lipothymiam incidit aeger; reſuſcitatus vero per horas aliquot multum levaminis ſentit. Ad alvum ſollicitandam bibit aquam cremore tartari mixtam, mox inde per diem ſexies alvum depoſuit aquoſam ſumma virium iactura. Nox inſomnis et inquieta.

10ma Aprilis. Mane ingens artuum laſſitudo, vertigo, capitis dolor, pectoris oppreſſio, tuſſicula, pulſus frequens, parvus, debilis. Anorexia. Lingua muco albo obtecta, diarrhoea aquoſa.

Veſperi. In noſocomium transportatus conquerebatur denuo de lateris dextri dolore punctorio et tuſſi. Sputa tenuia ſanguine erant commixta, genae admodum rubrae, oculi feroces, pulſus frequens, mollis et fere fortis, calor univerſi corporis, cutis arida, ſitis ingens. Ab Adſiſtente ordinabatur:

℞. Aq. font. Unc. ſeptem.
Pulv. gum. arab. Drach. tres.
Syrup. emulſiv. Unc. unam.
MDS. Omni capiat bihorio vaſculum dimidium.

Decoctum Specierum emollientium pro potu, ſyrupo de althea mixtum.

Porro ad locum dolentem veſicans. Diaeta tenuis.

11ma Aprilis. Nox inquieta. Somnus nullus. Frons ſerena. Pulſus modice frequentes, ceterum naturales. Lingua muco flavo obtecta. Oris anguli atque labia ad narium alas verſus colore flaveſcente circumſcripta, genae rubrae, dolor ad latera nullus, tuſſis ad quemlibet corporis motum aucta. Reſpiratio bona. Alvus clauſa. Veſicatorii ope multum ſeri evacuabatur. Ordinatur Decoctum Specierum emollientium cum oxymelle pro potu et Clyſma emolliens.

12ma Aprilis. Per noctem una vice alvum faeculentam depoſuit. Aderant inſimul dolor capitis preſſorius, vertigo, blanda deliria, inſomnia, variaeque perverſae ideae, aurium tinnitus, artuum dedolatio, laſſitudo, reſpiratio difficilis, pectoris oppreſſio, pulſus frequens, debilis, tuſſis frequens, color faciei luridus, anorexia, lingua ſordida, ſenſus praecordiorum gravativus, ſitis nulla. Porrigitur aegro:

℞. Camph. mucil. gum. arab. trit. Gr. quindecim.
Aq. font. deſtillat. Unc. ſeptem. Adde
Syrup. diacod. Unc. unam.

MDS. Omni bihorio vaſculum dimidium.

Diaeta inanis. Pro potu vinum dilutum aqua.

13tia Aprilis. Per noctem blanda deliria. Alvus nulla, lingua ſordida, tuſſicula frequens, ſputa nulla, pulſus debilis modice frequens. Reſpiratio fere naturalis. Mixtura camphorata repetitur, ſimulque praeſcribitur diaeta nutriens e iuſculo carneo et vitello ovorum, atque pro potu praeter decoctum ſpecierum emollientium quadrans menſurae vini generoſi.

14ta Aprilis. Nox bona, delirium nullum, lingua pura, tussis multum diminuta, pulsus debilis, ceterum naturalis. *Vespere* bini alvi secessus. Aeger se optime sentit. Ordinatio eadem.

15ta Aprilis. Tres alvi secessus per noctem aquosi, cutis mador per corpus universalis. Redit adpetitus, tussis disparet omnino, et reliquae functiones integrae. Ordinabatur diaeta nutriens carnea. Mane et vespere laudani liquidi Sydenhami guttae viginti sumendae.

Hac methodo continuabatur, usque dum restitutis viribus omnino sanatus aeger nosocomium 20ma Aprilis dereliquit.

Brandner.

Historia IV.

Michael Pharo, Bambergensis, 15 annos natus, iam ab anno et dimidio in urbe stipendia mercenaria capiens, 4ta Aprilis subito, nullius potentiae nocentis corpus adficientis memor, horripilatione, quam mox aestus notabilis insequitur, adfectus est. Mox etiam anxietatem et dispnoeam sensit, ita ut respirationem non sine magno lateris dolore pungente peragere potuerit. Altera morbi die sanguinem floridum et spumosum tussi eiecit. Hisce symptomatibus per quinque dies vexatus tandem nosocomium adiit, in quod 8va die huius mensis receptus est. Symptomata adparuere sequentia. Dolor lateris sinistri thoracis pressorius, punctorius, inspiratione quacunque increscens, tussicula sicca, respiratio frequens et brevis, lingua paululum humida, sitis magna, aestus universalis, verum cutis paululum madescens, ad sudores prona, caput occupatum, vertigo, pulsus frequens et de-

bilis, anxietas atque ſenſus laſſitudinis artuum. Ordinabatur ſequens.

℞. Aq. fontan. Unc. ſeptem.
Gum. arab. Drach. tres.
Syrup. diacod. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio vaſculum dimidium.
Diaeta tenuis.

Veſpere. Sputa ſanguine florido rubeſcente tincta, pulſus frequens ac fortis, reſpiratio liberior, atque omnia ſymptomata minus vehementia.

9na Aprilis. Nox magis quieta, tuſſis ſicca ſine ſanguinis eiectione, dolor lateris fere nullus, pulſus frequens et fortis, cephalalgia tuſſi increſcens. Repet. emulſio ultima, et praeſcribebantur pulveres Doweri.

℞. Pulv. rad. Ipecacuanh. Gran. quadrans.
Opii puri Gran. dimidium.
Sach. alb. Scrup. unum.
M. f. Pulv. d. tal. doſ. Nro duae. Sumat mane et veſpere unam.

℞. Liniment. volat. camphorat. Unc. duas.
D. S. ad infrictiones in locum adfectum.

Veſpere. Caput magis occupatum, vertiginoſum, ſuſurrus aurium, abdomen ſub adtactu dolens et paululum inflatum; alvum unam depoſuit; cutis arida, aeſtus multum auctus, pulſus frequens et debilis.

10ma Aprilis. Nox inquieta, inſomnis, totam per noctem horripilatio, pulſus heſterna die debilior, capitis occupatio, ſuſurrus aurium, urina parca et ſaturata, alvi deiectio naturalis, lingua parum onuſta et arida, tuſſis ſicca, dolor abdominis tenſivus et hypochondrium ſiniſtrum ab adtactu dolens, dolor lateris punctorius auctus. Repet. Emulſio et Pulv. Adplicabatur porro veſicans ad locum dolentem.

Vespere. Vesicatorio multum seri evacuabatur. Aestus universalis magnus, sitis vehemens, cephalalgia tussiendo adaucta, sputa flava sanguine florido striata. Sudor universalis. Reliqua eadem.

11ma Aprilis. Nox inquietior prioribus, tussis frequens, sputa flavescentia sanguine florido striata, pulsus minus frequens, respiratio liberior, calor universalis, urina copiosa et aquosa, sudor viscidus, dolor lateris remittens. Repet. emulsio et pulveres Doweri.

Vespere. Febris decrevit, et sputa magis cocta parum sanguine florido tincta. Ordinabatur pediluvium.

12ma Aprilis. Nox tranquilla. Symptomata hucusque praesentia non solum mitiora, sed et plurima eorum evanuere. Caput non amplius occupatum, respiratio libera, tussis rarior. Dolorem pectoris fere nullum sentit aeger, nisi quandam inter tussiendum oppressionem. Sputa nullo sanguine intermixta et magis cocta. Ordinatur sequens:

℞. Camph. ras. Gr. tria.
Sulph. antim. aurat. Gr. unum.
Sach. alb. Scrup. unum.
M. f. pulvis. Dent. tal. dos. Nro sex. S. omni trihorio unam.

℞. Lichen. Island. Unc. tres.
Rad. liquirit. Unc. unam.
MDS. pro potu ordinario.

Diaeta carnea.

Et sic sensim sensimque corporis torositate ac viribus increscentibus die 21ma plane restitutus nosocomium dereliquit.

Heller.

Hiſtoria V.

Ioſephus Weiner, Kiſſingenſis, Studioſus, 19 annos natus, matre ex phthiſi pulmonali iam pridem defuncta, patre vero ſano ortus, nulla a prima iuventute pectoris adfectione laboravit, neque unquam alio gravi morbo fuit detentus. Habitu inſuper gaudebat corporis ſat robuſto et ad pectoris morbos ex ſtructura ſua neutiquam praediſpoſito.

Die 30ma Martii poſtquam in diſſitis urbis partibus plures horas ultro citroque diſcurrerat, reſpirationem ſenſit moleſtam, quam tuſſis ſicca inſequebatur, et poſt magnam anxietatem, qua de ſenſu ponderis pectori incumbentis continuo conquerebatur, inſignem ſanguinis floridi ſpumantis copiam vehemente tuſſi eiecit.

Die 31ma Martii et 1ma Aprilis ſanguinis ſputum continuavit, cui vero praeter venae ſectionem nullum aliud remedium aeger oppoſuit. Veſpere 1mae Aprilis in noſocomium delato ab Adſiſtente ſequens Mixtura porrigebatur:

℞. Laud. liquid. Sydenham. gutt. viginti.
Mucil. gum. arab. Unc. ſemis.
Aq. font. Unc. ſex.
Syrup. diacod. Unc. unam.
MDS. Sumat omni hora duo cochlearia.

Nocte inſequente haemoptoe continuat, eiiciuntur unciae tres ſanguinis floridi et ſpumantis, et ad motum leviſſimum tuſſis vehementia augetur.

Die 2da Aprilis mane reſpiratio anxia perdurat, uti et ſanguinis exſpuitio, tuſſis fere nulla, pulſus frequens et ſubdurus, cutis arida. De cephalalgia inſigni conqueritur, alvumque per triduum non depoſuerat. Praeſcribitur itaque ſequens:

Venae ſectio ad uncias quinque.

℞. Nitri depurat. Drach. unam et ſemis.
ſolv. in aq. font. Unc. ſeptem. Adde
Syrup. diacod. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

℞. Rad. altheae. Unc. duas.
— liquirit. Drach. ſex.
M. C. D. pro potu.

℞. Oxym. ſimpl.
Syrup. diacod. aa. Unc. duas et ſemis.
MDS. Potui admiſcendum.

℞. Spec. emollient. Manip. duos.
D. pro clyſmatibus.

Diaeta inanis.

Poſt venae ſectionem pulſus minus durus neque tam frequens, reſpiratio minus moleſta; haemoptoe tamen continuat. Circa horam 8vam veſpertinam ab Adſiſtente noſocomii laud. liq. Sydenh. gutt. decem aegro porriguntur. 11ma hora noctis ſomno corripitur aeger, et continuo absque omni tuſſi usque ad ſextam diei ſequentis matutinam dormit.

Die 3tia Aprilis, morbi 5ta, quum ſymptomatum inflammatoriorum vehementia ex uſu remediorum antiphlogiſticorum fracta quidem, (uti praeſertim ex imminuta duritie pulſus, liberiore reſpiratione, tuſſi remittente merito iudicavimus,) corporis autem incitatio imminuta omnino non eſſet, repetitur Mixtura antiphlogiſtica, et Clyſma emolliens adplicatur. Diaeta tenuis. Haemoptoe tandem quoad copiam ſanguinis eiecti decreſcit, et demum plane ceſſat. Pulſus frequentia imminuitur. Cutis adhuc arida.

Veſpere autem (pro relatione Adſiſtentis noſocomii) pulſus durities et celeritas adeo increvit, ut venae ſectio ad uncias ſex inſtitueretur. Nocte ſubſequente multum ſanguinis tuſſi eiicitur.

Die 4ta Aprilis. Sanguis heri e vena emiſſus cruſtam prodit inflammatoriam. Pulſus non adeo durus ac frequens: cutis arida. Alvi tarditas perdurat. Sentit aeger ardorem in imo pectoris. Repetuntur ergo ſingula, excepta venae ſectione. Veſpere ter aliquid ſanguinis coagulati reſpuit; pulſus minus frequens, ſed plenus; cutis madeſcere incipit. Datur emulſio.

℞. Decocti hordei Libr.unam.
Syrup. emulſiv. Unc. duas.
MDS. pro potu.

Diaeta tenuis.

Die 5ta Aprilis. Quum nocte praegreſſa ſudor ſat copioſus aegrum levaſſet, omniaque pectoris ſymptomata plane evanuerint, nec non ſanguinis ſputum plane ceſſaverit, ac pulſus neque celeritate neque duritie a naturali differret; mixtura ſepoſita, pro potu decoctum lichenis Islandici ordinavimus, continuata tamen diaeta tenui.

Et ſic tandem febre omnino ſublata, de die in diem aeger ſe melius habuit, ſputum decoctum eiecit, quod ſecundum Graſsmeyeri regulas examinatum puris nulla indicia prodidit. Reſpiratio ac omnes functiones naturales revertebantur, et aeger conceſſo lautiore cibo, diaeta animali atque vino, poſt breve tempus omnino reſtitutus die 18va Aprilis noſocomium reliquit.

Ex illo tempore ſtudioſum hunc quotidie fere vidi, eiusque valetudinem exploravi. Abſunt omnia phthiſis pulmonalis ſigna, et ne tuſſicula quidem proſperrimam ſanitatem turbat.

C. Schick.

Hiſtoria VI.

Balthaſar Goes, Allersheimenſis, molitor, 34 annorum, ſanis natus parentibus, quoad collum longum, thoracem planum, ſcapularum retro proeminentiam ad pectoris morbos praedispoſitus, a prima iuventute benigna ſemper gaudebat ſanitate. Ad aetatem provectus quum adficeretur frequenti reſpirationis anxietate et difficultate, bis vel ter per anni decurſum venam et quidem largam ſibi ſecari curavit, levamen inde nonniſi palliativum hauriens. Iam per duos annos venae ſectionem omiſit, quin reſpirationis anxietas ac difficultas augerentur. Amorem colens cum puella vegeta et robuſta die nocteque, et matrimonium et domicilium ſibi adquirere ſtudet. 23tia Aprilis a. c. expoſitus refrigerio, laborique lapidum molarium exacuendorum incumbens, corripitur horripilatione, quam poſt quadrantem horae excipit anxietas, dyſpnoea, calor corporis univerſalis, ſitis multa. Per noctem eadem inſiſtunt ſymptomata.

Mane 24ta Aprilis accedit his ſymptomatibus ſenſus in bronchiis pruriens ad tuſſim irritans; ſubſequitur tuſſis, qua multum ſanguinis floridi et ſpumantis cum pulmonum ſtrepitu eiicitur. Reſpiratio difficilior, dolor gravativus ſub ſterno et ad utrumque thoracis latus, ſitis multa, alvus clauſa, ſumma virium proſtratio. Nox valde inquieta.

25ta Aprilis. In noſocomium receptus queritur de gravativo dolore ſub oſſe ſterni ad utrumque thoracis latus, de reſpiratione anxia et difficili, de vertigine, de pruritu in bronchiis continuo tuſſim provocante. Tuſſiendo eiicit aeger ſanguinem floridum et ſpumantem. Pulſus eſt frequens, celer et mollis, calor corporis auctus, cutis arida,

genae rubrae, ſitis multa, lingua muco obducta et humida. Ordinatur:

℞. Decocti hordei Unc. octo.
Nitri depurat. Drach. unam et ſemis.
Oxymel. ſimpl.
Syrup. diacod. aa. Unc. ſemis.
MDS. Capiat omni hora duo cochlearia.

Pro potu ordinatur decoctum ordinarium cum oxymelle. — Diaeta inanis.

Mane 26ta Aprilis. Per noctem eadem ſymptomatum vehementia. Tuſſi frequentiore exſpuit ſanguinem floridum et ſpumantem ad uncias quatuor, dolor ad latera pectoris et ſub ſterno gravativus, reſpiratione frequenti et anxia auctus. Pulſus frequens, celer et ſubdurus. Calor auctus. Sitis tamen mitior. Adpetitus bonus. Alvus iam per triduum clauſa. Quum ex iuſta ſymptomatum obſervatione potentiarumque nocentium praegreſſarum (animi pathematum deprimentium, refrigerii, laboris, copiae ſanguinis per vitae ſpatium detracti,) diagnoſis haemoptoes ex debilitate formari poſſit; praeſcribitur:

℞. Aq. fontan. Uncias ſex.
Gum. arab. Drachmas tres.
Laud. liquid. Sydenh. Scrup. unum.
Syrup. diacod. Unciam unam.
MDS. Capiat omni hora cochlearia duo.

Adplicetur veſicans ad regionem oſſis ſterni.
Bibat ſaepius de die decoctum altheae tepidum.
Diaeta iuſculum carnis cum ovo.

Veſpere. Symptomatum exacerbatio.

Mane 27ma Aprilis. Nox inquieta, eadem tuſſis frequentia eademque ſputorum conditio ad uncias tres. Aſt pulſus mollis et non tam frequens. Reſpiratio minus difficilis. Dolor pectoris imminu-

tus. Una alvi excretio, clysmate promota. Urina cruda. Repetatur Mixtura uti 26. Aprilis. Diaeta eadem.

Vespere. Status idem.

Mane 28va Aprilis. Nocte magis quievit. Imminuta tussis et pulsus frequentia sputorumque copia. Respiratio liberior. Dolor sub sterno et ad latera pene nullus. Cutis mollis et humida. Queritur tamen de vertigine et artuum lassitudine. Repetatur Mixtura ut 26. Aprilis. Diaeta eadem ut die 27ma et

℞. Lichen. Island. Unciam unam et semis.
Rad. altheae
- - liquirit. aa. Unciam semis.
MDS. Species pro potu.

Vespere. Status idem.

Mane 29na Aprilis. Quievit aeger. Tussis imminuta, sputa magis tenacia, spumantia, sanguine interstriata, respiratio parum difficilis, dolor pectoris fere nullus. Pulsus frequens, mollis et pene plenus. Alvi et urinae excretio naturalis. Adpetitus bonus. Sitis mitis. Praescribitur:

℞. Pulv. rad. Ipecacuanh. Granum semis.
Opii puri Granum unum.
Sach. alb. Scrupulum unum.
M. f. pulv. dent. tal. dos. Nro. duae.
Sumat mane et vespere dosin unam.
Repetatur lichen. Diaeta magis nutriens.

Vespere.. Eadem conditio.

Mane 30ma Aprilis. Aeger per totam noctem quievit. Tussis nonnisi parca, sputa magis cocta et flavescentia. Respiratio fere naturalis. Pulsus parum frequens, mollis et plenus. Cutis mollis et humida. Nullibi queritur de dolore, ast de corporis lassitudine.

Repetantur pulveres ex opio et lichene.
Diaeta eadem.

Vespere. Eadem conditio.

Mane 1ma Maii. Nox quieta. Tuſſis fere nulla. Sputa cocta et parca. Reſpiratio et pulſus fere naturales, uti et excretiones.

Repetantur pulveres ex opio et lichene.
Diaeta magis nutriens, i. e. portio dimidia.

Veſpere. Omnia in melius vergunt ſymptomata.

Mane 2da Maii. Omnino bene ſeſe habere adfirmat. Nulla in parte dolor. Omnes functiones naturales. Diaeta eadem, quarta vini generoſi menſurae pars.

Sic 10ma Maii in integrum reſtitutus noſocomio exiit.

Reuſs.

Hiſtoria VII.

Petrus Philippi, Fladungenſis, Studioſus 16 annos natus, a prima iuventute ſemper ſanus, victu plerumque fruebatur tenui. Anno praeterito ſcabiem, qua adfectus fuit, adhibito aliquo unguento fugavit. Abhinc tuſſicula ſicca pectoriſque anxietate vexatus, ante aliquot dies ſubito et immodice potans aquam, multumque dein diſcurrens corripitur horripilatione, quam calor corporis auctus, ſitis multa, dolor capitis, corporis laſſitudo excepit. His ſymptomatibus altera die accedit anxietas, dolor lateris dextri punctorius, reſpiratio difficilis, tuſſis cum ſputis ſanguinolentis, calor corporis univerſalis, adpetitus proſtratus, alvi tarditas. Inſtituta venae ſectione modica, ſymptomata diminuebantur.

Die 1ma Aprilis in noſocomium recipitur. Corpus conſpicitur utcunque gracile, pectus planum,

ſcapularum retro proeminentia, habitus in phthiſin valde pronus, genarum rubor, reſpiratio anxia, difficilis, tuſſis frequens, ſputa ſanguinolenta. Conqueritur de dolore lateris dextri punctorio, ſiti multa et calore magno. Pulſus erant duri, frequentes et fortes. Alvi tarditas. Ordinatur:

℞. Aq. flor. ſambuc. Unc. octo.
Nitri depurat. Drach. unam et ſemis.
Syrup. rub. Idaei. Unc. unam.
MDS. Sumat ſingulis horis duo cochlearia.
Inſtituatur venae ſectio ad Uncias ſex.
Exhibeatur pro potu decoctum ordinarium.
Adplicetur clyſma emolliens.
Diaeta inanis.

Die 2da Aprilis mane. Nox inquieta, reſpiratio difficilis, tuſſis imminuta, ſputa tenacia, copioſa, ſanguine parum ſtriata. Dolor pectoris fere nullus, pulſus frequens, celer et ſubdurus. Magna adeſt ſanguinis profuſio per narem dextram corporisque debilitas. Ordinatur:

℞. Spirit. vitriol. Dr. tres.
Syrup. rub. Idaei. Unc. quatuor.
S. pro potu cum aqua.
℞. Spirit. vin. camphorat. Unc. duas.
DS. Laventur facies et manus.
℞. Alum. crud. Dr. duas.
ſolv. in aq. deſtillat. Unc. tribus.
DS. Linteum carptum bene humectatum immittatur in nares.
Diaeta tenuis.

Veſpere. Haemorrhagia narium nulla, corporis pallor, horripilatio, maior debilitas. Pulſus vix ſentitur. Ordinatur:

℞. Aq. fontan. Unc. sex.
Laud. liquid. Sydenh. Scrup. unum.
Syrup. emulsiv. Unc. unam.
MDS. Sumat omni hora duo cochlearia.

3tia Aprilis mane. Nox magis quieta. Redit narium haemorrhagia. Eadem fere symptomata ut heri; ast sputa tenacia et puriformia, ita, ut pro experimento Grassmeyeriano massa procreetur gelatinosa. Repetantur medicamina hesterna. Diaeta sit iusculum carnis cum ovo.

Vespere. Status idem, ast symptomatum exacerbatio.

4ta Aprilis. Quievit aeger pene per totam noctem; maiorem sentit corporis debilitatem. Corpus pallet, sudor ad frontem copiosus, respiratio difficilis, tussis multa cum sputis puriformibus. Pulsus frequens, celer et debilis. Sitis magna, adpetitus nullus. Bina alvi excretio aquosa. Praescribitur:

℞. Lichen. Island. Dr. sex.
Rad. polygal. amar. Unc. semis.
coq. cum aq. fontan. Libr. una.
Colat. Unc. septem adde
Laud. liquid. Sydenh. Scrup. unum.
Syrup. diacod. Unc. unam.
MDS. Sumat omni hora duo cochlearia.

Victus nutriens i. e. portio quadrans.

Vespere. Eadem conditio; ast symptomatum exacerbatio.

5ta Aprilis mane. Quievit paulisper aeger. Symptomata eadem. Repetantur medicamina hesterna.

Vespere. Nulla exacerbatio.

6ta Aprilis. Quievit aeger, meliusque sese habere adfirmat. Dolor lateris nullus, respiratio minus laboriosa, tussis imminuta, uti et sputa. Ad-

petitus ſat bonus. Alvi excretio naturalis. Ordinatur:

℞. Decocti cort. peruv. ſaturat. Unc. octo.
Mellis opt. Unc. unam.
MDS. Sumat quavis hora duo cochlearia magna.
℞. Lichen. Island. Unc. unam.
Rad. altheae. Unc. unam et ſemis.
MDS. Species pro potu.

Veſpere. Exacerbatio nulla.

7ma Aprilis. Omnia melioreſcunt ſymptomata. Repetuntur medicamina. — Pro Diaeta dimidia portio.

8va Aprilis. Melior in dies conditio. Augentur corporis vires. Reſpiratio naturalis. Pulſus tardus, aſt debilis, tuſſis fere nulla, ſputa cocta et albeſcentia. Sitis nulla. Adpetitus bonus, alvi excretio naturalis. Ordinantur eadem. — Diaeta eadem.

9na Aprilis. Dormivit bene aeger. Omnes functiones praeter artuum laſſitudinem naturales. Repetuntur medicamina. — Diaeta eadem cum dimidia vini menſura.

Sic aeger omni pectoris adfectione liberatus et in integrum reſtitutus die 25ta Aprilis noſocomium reliquit.

Reuſs.

MAIUS.

Calida amoenaque tempeſtas ab initio menſis ad 9nam usque diem, per cuius noctem ſonabant tonitrua, pluviaeque cadebant. Dies 10ma calida ac ſerena, nox vero imbriſera. 11ma ad 20mam usque alternarunt pluviae ventique, durante calida tempeſtate. Nox 20mae pluvioſa, quam mox frigidior iuſto aeris temperies per tres dies excepit, certantibus ventis pluviisque. Die 24ta tempeſtas calidior, aſt pluvioſa fuit ad finem usque menſis. Die 31ma per noctem tonitrua.

Per totum menſem continuarunt rheumatiſmi, plurimi ſimplices, nonnulli etiam peculiari pectoris adfectione comitati, immo typhi faciem referentes, in quam ſaepe perverſa methodo, venae ſectione et purgantibus fuerant immutati. Optime ac breviore via curati ſunt infuſo Valerianae, ſpiritu Mindereri, opio, antimonialibus ac veſicatoriis parti magis dolenti adpoſitis. Occurrerunt et ophthalmiae, quas pro morbi natura mox debilitantibus, mox incitantibus tam externe quam interne adhibitis ſanavi. Ophthalmiae talis aſthenicae ſeu a debilitate directa ortae exemplum infra enarrabo.

Frequentiſſimi vero morbi, ſi chronicos excipias, fuerunt febres intermittentes tertianae, quae decurrebant communibus huius morbi ſymptomatibus, incitationem, ut iam ex omnium cauſarum concurſu pateſcit, imminutam oſtendentibus. Paroxyſmi tempore animadvertebatur horripilatio, immo horror, durans dimidiam duasve horas, inſequente dein calore ac ſudore. Fuerat praeterea adpetitus nullus, anorexia, praecordiorum oppreſſio, vomendi conatus, vomituritio, in nonnullis et vomitus, ventris inflatio ab adtactu dolentis,

dolor capitis ac artuum, dedolatio, urina rubra et lateritia. Apyrexiae tempore aegrotantes plerumque bona gaudebant valetudine, nec nisi forsan de lassitudine ac deficiente ciborum adpetitu querebantur. Alvus fuit aperta; lingua muco flavo obducta, foetor ac sapor oris in aliis amarus, in aliis vapidus, in aliis metallicus, qualis in initio salivationis quandoque percipitur Mercurii usu; somnus recreans &c.

Sanati sunt plurimi, diaetam iis febribus maxime convenientem stricte observantes, china regia ad scrupulos duos aut ad drachmam dimidiam omni bihorio exhibita, ac opio brevi ante paroxysmi tempus ad unum, unum et dimidium, immo ad duo grana propinato. Resolventia sic dicta debilitantia, salia media, et similia, emetica nunquam adhibui, duobus exceptis casibus, in quibus emeticum simul, non ut evacuans, sed ut commovens in corpore torpido et laxo, ante chinae usum porrexi.

Opium solum maxima licet dosi ante paroxysmum propinatum nullos omnino praestitit effectus: china vero apyrexiae tempore porrecta, et opio dein brevi ante paroxysmi tempus exhibito, febriles insultus, etsi aliquoties redirent, solito citius siluere. Ita Leonardus Dellinger, percepto ad paroxysmi tempus horripilationis insultu, sumsit triginta sex guttas laudani liquidi Sydenhami, quo et horripilationem et febrem profligavit.

Febris intermittens tertiana duplicata, cuius in priori mense feci mentionem, corticis peruviani, florum salis ammoniaci martialium, ac amaris, praesertim vini amari usu omnino sanata est. Morbi huius historia a Candidato *Pollau*, qui aegro adstitit, paucis descripta haec est.

Andreas Zipfel, 33 annos natus, Hesselbacensis, zythopola, corpore sat robusto integraque valetudine a teneris usus, Mannhemii, ubi febres intermittentes, forsan ob aquarum urbem cingentium stagnationem, endemicas esse constat, vitam agens pro munere suo laboriosam, febre eiusdem generis, et quidem quotidiana, novem abhinc mensibus correptus fuit. Quae quum per tres menses variis adhibitis remediis ferociter restitisset, cedit tandem cortici peruviano, qui aegro in nosocomio, quod Mannhemii est, porrigebatur. Sanatus iam Heidelbergam petit, artemque suam exercet. Ast novem hebdomadibus elapsis denuo invadit eum eadem febris, qua iterum chinae usu liberatur. Peregrinatus dein ad urbem nostram Wirceburgensem, quum per aliquot septimanas in zythopoeia huiate serviret, febre intermittente duplicata prehensus fuit, atque aliquot post diebus in nosocomium die 15ta Aprilis receptus. Reperimus aegrum corpore robustum, ast emaciatum, colorem faciei e nigro flavescentem, functiones in statu sano, praeter pulsum parvum, debilem, tussim siccam, hypochondriacam regionem sinistram tumidam, duram atque ab adtactu dolentem, somnum interruptum. Praescribitur interea, usque natura morbi penitus pateret:

℞. Aq. flor. sambuc. Unc. sex.
Sal. amoniac. dep. Drach. unam et semis.
Extract. tarax.
Mel. optim. aa. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio vasculum dimidium.

Diaeta tenuis.

Die 16ta. Omnia bene se habent.

Vesperi hora 7ma Paroxysmus. Adparuere sueta symptomata febrilia, horripilatio per sesqui horam,

calor insequens, sitis vehemens, sudor copiosus, nox inquieta. Eadem remedia.

Die 17ma mane aeger bene se habuit, exceptis lassitudine totius corporis ac dolore in regione hypochondriaca sinistra. Hora 1ma pomeridiana paroxysmus febrilis rediit.

Die 18va vesperi hora 7ma, quum ingrueret paroxysmus idem, febrem statuimus intermittentem duplicatam, ad quam profligandam praescripta, ac aegro apyrexiae tempore propinata remedia sunt:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. unam.
Flor. sal. ammoniac. mart. Drach. tres.
Extract. amar. Drach. duas.
s. q. aq. font. solut. adde
Syrup. cort. aurant. Unc. quatuor.
ut f. l. a. Electuarium.
MDS. Omni hora duo cochlearia parva.

Diaeta tenuis cum vino.

Ea ratione alternarunt per dies paroxysmi, vehementia tantum paulatim imminuti usque ad 30mam diem, quo nulla febris vestigia supererant. Aeger optime se habuit, nisi quod praeter lassitudinem adessent adhuc tussis sicca et tumor hypochondrii sinistri, imminutus tamen minusque sub adtactu dolens. Facies initio ex nigro flavescens iam album induit colorem: cetera, praecipue functiones naturales, in statu sano versantur. Praescripsimus Alcohol. cort. peruviani ad drachmam dimidiam, quam dosin omni bihorio aeger sumsit, hausitque ante prandium et coenam dimidium vasculum vini amari medicati, denique pro potu habuit lichen. Island. in decocto, ac vinum aqua dilutum; diaetam vero carneam, seu portionem secundam.

Hisce remediis quotidie continuatis, ineunte Maio evanuerunt febris omniaque symptomata su-

pra recensita, et aeger refocillatis omnino viribus die 14ta Maii nosocomium dereliquit. Ultimum, quod eum exagitaverat symptoma, tussis sicca vere spastica fuit, quae tamen opii usu, sub forma pulveris Doweri, mane et vespere ad dimidium granum exhibiti, brevi cessavit.

Ophthalmia asthenica.

Georgius Senger, Sartor, 19 annos natus, Bergtheimensis, cui mala fuit pectoris conformatio corporisque habitus, quem scrophulosum dicunt, semper bona usus est valetudine, si excipias morbos infantiles et capitis tineam, qua circa sextum aetatis suae annum adflictus fuit. Anno praeterito laboravit levi ophthalmia, quae tamen mox disparuit, quin ullum medicamen adhiberet, aliamque mali causam, nisi ipsam vitae rationem, accusaret. Die 14ta Aprilis expositus refrigerio nocturno, horripilatione, corporis lassitudine, cephalaea, accedente sub vesperum calore universali, siti magna corripiebatur. Post aliquot dies his symptomatibus periodice atque irregulariter redeuntibus adsociantur visus hebetudo, dolor utriusque oculi gravativus, dein rubedo, lucis intolerantia et lacrymatio, ita tamen, ut oculus sinister prius maiorique vehementia adfectus observaretur. Insistente, quin immo increscente horum symptomatum turba, nullo usus medicamine, nosocomium adiit, ubi 23tia Aprilis receptus queritur de gravativo dolore bulbi utriusque oculi ad orbitas extenso. Albuginea oculi sinistri quam maxime rubet; vasa copioso sanguine turgida et varicose dilatata super corneam adscendunt, visus omnino diremtus, simulque urget epiphora et photophobia, meritoque pro symp-

tomatibus haec ophthalmiae ſpecies Chemoſis adpellari poteſt. Oculus dexter minus rubet, obiecta aliquantulum discernere poteſt, non adeſt tanta lucis impatientia nec tam copioſa lacrymatio; quare altera haec ophthalmiae ſpecies Taraxis potius vocanda erit. Accuſat aeger aurium ſuſurrum et deglutitionis difficultatem, quin tamen in faucibus vel inflammatio vel exulceratio obſervetur. Queritur quoque de laſſitudine ac doloribus artuum lancinantibus. Pulſus eſt frequens et parvus, calor corporis auctus, cutis arida, ſitis magna, adpetitus ſat bonus, alvi urinaeque excretio naturalis. Praeſcribitur:

℞. Aq. flor. ſambuc. Unc. ſex.
Spirit. Minderer. Unc. unam.
Laud. liquid. Sydenh. Scrup. unum.
Roob ſambuc. Drach. tres.
Mel. optim. Unc. ſemis.
MDS. Sumat omni hora duo cochlearia magna.

et ℞. Flor. chamomill.
— ſambuc. aa. Unc. duas.
Camph. bene trit. Drach. unam et ſemis.
MDS. Adplicetur in forma fomenti ſicci ad oculos.

Pro potu decoctum altheae tepidum.
Diaeta levis.

Die 24ta. Eadem ſymptomatum vehementia. Mane materies puriformis, ad internum oculi canthum denſata, ciliorum tarſos conglutinat. Pulſus fere naturalis. Repetuntur medicamenta, et ordinatur veſicans ad nucham.

Die 25tá. Oculi dextri rubedo multum, ſiniſtri vero parum imminuta. Dolorem capitis ad orbitas gravativum, et in utroque bulbo adhuc intenſum, deglutitionem difficilem, dolores artuum lancinan-

tes et lippitudinem accuſat. Ceterae functiones naturales reperiuntur. Repetitur igitur Mixtura ultima, addita vini antim. Huxham. Drach. una. — Diaeta eadem.

Die 26ta. Eadem oculorum ac aegrotantis conditio. Repetuntur omnia.

Die 27ma. Oculi dextri rubedo et dolor pene omnino disparent: aſt rubedo oculi ſiniſtri parum imminuta, inſiſtente adhuc dolore gravativo. Queritur quidem de copioſis ſcintillis, oculo tamen maxime licet ſenſili lucisque impatiente obiecta rite discernere poteſt. Repet. Mixtura, et praeſcribitur:

℞. Vitriol. alb. Drach. ſemis.
ſolv. in aq. roſar. Unc. duabus.
MDS. Adplicetur linteo ad oculos.

Die 28va. Eadem oculorum conditio. Repetuntur ſingula.

Die 29na. Eadem oculorum conditio, repetitaque ſingula.

Die 30ma. Rubedo oculi dextri omnino disparuit, ſiniſtri vero imminuta fuit, remiſerantque dolor gravativus, epiphora et photophobia. Oculus dexter lucis radios impune fert, et obiecta optime discernit. Ceterum aeger bene ſeſe habere adfirmat. Repetitur vitriolum album ad uſum externum, et praeſcribitur:

℞. Vin. antim. Huxham. Drach. duas.
Tinct. thebaic. Drach. unam.
MDS. Sumat quater de die guttas viginti.
Pro diaeta ſit portio prima.

1ma Maii. Eadem oculorum conditio. Repetitur vitriolum album aqua ſolutum, et continuatur vin.antim.Huxham. cum tinct. thebaica.

2da Maii. Aeger non bene dormivit. Rubedo oculi utriusque aucta, uti et dolor, epiphora et

photophobia. Ceterae functiones naturales. Repetitur vin. antim. cum tinct. thebaic. et ordinatur:

℞. Tinct. thebaic. Drach. ſemis.
S. Inſtilllentur ter de die duae guttae aqua mixtae.

3tia Maii. Idem oculorum ſtatus. Continuantur medicamina.

4ta Maii. Omnia eadem.

5ta Maii. Queritur aeger de magna corporis laſſitudine. Pulſus parum frequens et debilis: eadem oculorum conditio: ceterae functiones naturales. Praeſcripſimus:

℞. Pulv. rad. Valerian. ſylv. Unc. ſemis.
inf. aq. ferv. Unc. octo.
ſtet in digeſtione per horae quadrant.
Colat. adde
Extract. cort. peruv. Drach. duas.
Liq. anod. min. Hofm. Drach. ſemis.
Mel. opt. Unc. unam.
MDS. Sumat omni bihorio duo cochlearia magna.

℞. Acet. Litharg. Scrup. duos.
Spir. vin. rectificat. Unc. unam.
Opii pur. Gran. octo.
Aq. deſtillat. Unc. ſex.
MDS. Adplicetur linteo ad oculos.

Diaeta eadem.

6ta Maii. Rubedo utriusque oculi imminuta. Dolorem fere nullum ſentit oculus dexter, et obiecta discernit. Repetuntur medicamenta heſterna.

7ma Maii. Rubedo oculi dextri omnino evanuit; in ſiniſtro multum imminuta, ita ut et hoc oculo lucem non tam graviter ferente obiecta discernat. Repetuntur medicamenta. Diaeta eadem.

8va Maii. Minor oculi ſiniſtri rubedo, epiphoraque et photophobia pene ſublata. Dolor bulbi

gravativus nonnisi periodicus, nec tam vehemens. Ceterae functiones naturales. Repetita medicina. Diaeta eadem.

9na Maii. Omnia eadem.

10ma Maii. Rubedo pene nulla, acuiturque visus acies. Aeger in ceteris bene se habet. Repetita medicina.

11ma Maii. Omnia eadem.

12ma Maii. Nec dolor nec rubedo oculi sinistri, qui iam lucis radios ferre, obiectaque discernere valet. Aeger tamen queritur de scintillis et doloribus artuum lancinantibus. Repetita mixtura 5ta Maii ordinata, cui addebatur tincturae thebaicae Scrupulus unus.

13tia Maii. Eadem conditio. Repetita mixtura.

14ta Maii. Aeger bene sese habere adfirmat. Omnes functiones naturales observantur. Repetita mixtura, et praeter dictam diaetam habeat vini quadrantem mensuram.

His continuatis usque ad 18vam Maii, aeger in dies maius corporis robur nactus est, et sepositis medicamentis 2da Iunii in integrum restitutus nosocomium dereliquit.

Reuss.

Tremor artuum.

Utrum morbus, quem descripturus sum, a plumbo, an ab ira frequenti ac vehementi, an a venere aliave causa ortum suum ducat, penitus determinare non audeo. Quamquam aurifices varia plumbi praeparata, lithargyrum, mercurialia, aliaque metalla, quibus plumbum subest, in suis officinis tractare sciam, in nostro tamen casu deest sincera aegri confessio, neque is operis sui materiem ac praeparata satis nosse videtur. Quin immo desunt

ſigna characteriſtica, quibus ſaturninus a reliquis aliis tremoribus dignoſci poſſit: unde iudicii difficultas circa morbi huius naturam augetur. Quem vero quum raro videmus oriri ab animi pathematibus aliisque potentiis tam directe quam indirecte debilitantibus, a plumbo potius, quam ab aliis cauſis, naſci puto. Et in hominibus, qui aut figulino opere aut pigmentario occupantur, vel metalla tractant, obſervatum eſt hoc malum a praeclaris viris, ipſeque nuper iterum vidi et artuum tremorem et capitis tumorem vehementi ſalivationi coniunctum in duobus hominibus, qui mercurio machinam quandam ſat amplam, ut argentoratae faciem referret, obducebant. Confirmant quodammodo meam opinionem de Haen, Hoffmann et Stoll, qui licet non tremores fibrarum muſcularium, paralyſin tamen a plumbo ortam obſervarunt, eamque opio profligarunt. Quaecunque ergo morbi deſcribendi ſit natura, patebit certe, opium in illo aeque, ac in paralyſi et colica ſaturnina, proficuum eſſe. Abſit tamen, ut, quod Stoll et Haen voluiſſe videntur, ſpecificam huic remedio virtutem in morbis ſaturninis tribuam: exemplo tantum docebo, vi ſua fibras incitabiles excitante illud caute ac iuſta doſi exhibitum plurimum valere in ſimilibus morbis, quos a debilitate derivant. Nec me latent alia, quae adhiberi ſolent, ſtimulantia, ut arnica, cortex peruvianus, caſcarilla, camphora, ignis electricus, et ſimilia. Sed incitant gradu diverſo, nec omnia, quae excitant, unicuique morbo a debilitate provenienti conducunt, ut experientia docet. Hinc illa, quam et peritus Medicus ſentit, difficultas in medicaminibus pro diverſa morbi natura et ratione, atque pro diverſo tam roboris quam debilitatis gradu et modo

rite ſeligendis. Itaque et liberalior opii oblatio atque doſis pro diverſo debilitatis gradu in eiusmodi morbis eſt reſtringenda, quod et Lentin de colica et paralyſi ſaturnina optime iam animadvertit, quum torminum loco deliria et alias chronicas aegritudines, tremorem nempe, debilitatem atque membrorum paralyſin viderit augeri.

N. N. 40 annos natus, aurifaber, praeter variolas atque dyſenteriam, quibus circa 15tum aetatis ſuae annum laboravit, nullius omnino morbi tenet memoriam. Primis vero matrimonii diebus, quod quatuor abhinc menſibus inivit, poſt coitum ſtatim ſequente die dolores in pene urentes ſenſit, inter mingendum auctos: urina per urethram saepius tantummodo ſtillavit, immo retentam obſervavit cum muci albeſcentis per urethrae orificium ſtillicidio.

Vexatus hisce calamitatibus, haud omnino in veram mali venerei ſuſpicionem cedentibus, adiit Medicaſtrum, qui remedio purgante quodam duos vomitus et viginti alvi ſeceſſus excitavit, illaque incommoda omnino profligavit. Exagitatus autem variis saepius animi pathematibus, ira praecipue et moerore, quod in annonae caritate raro inveniret laborem, quo neceſſaria ad vitam ſuſtentandam merere potuiſſet, ſubito ante decem circiter hebdomadas in morbum incidit, quem tremorem artuum dicimus. Praeceſſerant corporis laſſitudo, artuum dedolatio, dolor capitis, aurium ſuſurrus, adpetitus proſtratus, atque inſomnia. Mox ſecuti ſunt tremores muſculorum totius fere corporis, quales quandoque in ſtrenuis potatoribus obſervare eſt, aucti in dies ad eam vehementiam, ut neque opificio ſuo plane fungi, neque manibus quid tenere,

neque incedere nisi summa cum difficultate posset. In misero hoc statu adiit Medicum, qui remedia roborantia per quatuor fere hebdomadas integras frustra continuavit. Incertam dein alius Medicastri opem imploravit, qui venae sectione ad uncias novem, purgantibus saepe repetitis, pediluviis, potibus copiosis e decocto specierum sic dictarum emollientium, et vesicatorio brachiis imposito morbum non profligavit, sed, ut facile coniicies, omnia symptomata vehementiora reddidit. Nunc de salute sua fere desperans, opem in Iulii nosocomio quaesivit, atque receptus est

Die 24ta Martii inter ambigua sanitatis auguria ob summam totius systematis nervosi debilitatem, methodo perversa magis promotam. Lassitudo corporis ingens, artus dedolati, musculorum tremores, levissimo animi pathemate aucti, corpus emaciatum et gracile, frigus extremorum, digitorum apices lividi, facies e pallido viridescens, insomnia, vires exhaustae, parvo tantum somno recreatae, eo vero perstante frequens et subitanea cum terrore evigilatio, vertigo, continuus capitis dolor, temulentia, aurium susurrus, magis magisque infestans ac, ut refert, motae limae crepitantis adinstar, animus continuo anxius et pavidus, pulsus debiles et parvi, adpetitus prostratus, cutis arida et sicca. Reliquae functiones perstant. Ceterum nulla colicae saturninae unquam praegressae indicia; nulla et rigoroso instituto examine argumenta, ab aegro unquam pro opificii sui ratione plumbi praeparata, cerussam, minium, lithargyrum, mercurialia et similia esse tractata; neque malo venereo laborasse se, neque mercurialia sumsisse, adfirmat. Itaque ex praegressis potentiis atque praesentibus phaenomenis conclusimus systematis ner-

vosi magnam debilitatem, quae maxime partes motui musculari, praesertim artuum, inservientes teneret. Ordinabantur sequentia:

℞. Flor. arnic. Drach. duas.
infund. aq. fervid. Unc. septem.
col. in colat. dissolv.
Extract. cort. peruv. Drach. unam et semis.
Mel. depurat. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio vasculum dimidium.

Diaeta laute nutriens et carnea. Mensura dimidia vini generosi. Animi ac corporis quies.

Continuabantur eadem medicamina ad 3tiam Aprilis usque, quin tamen symptomata vel minimum minuerentur. Prioribus admiscebatur Extract. cascarillae Drachma una.

Hisce autem continuatis, die 13tia Aprilis vix quidquam remiserant tremores, animi pavor, pulsus debilitas, virium prostratio, auriumque susurrus. Somnus tamen ac ciborum adpetentia redierunt, atque vertigo, temulentia capitisque dolor omnino evanuerunt.

Inter usum dictorum medicaminum adplicabatur die 14ta Aprilis ad ultimam usque huius mensis electricitas: initio balneum electricum, sub finem et leves concussus.

Die 1ma Maii. Status fere idem, qui per praecedentem mensem observabatur. Maior tantum corporis torositas, et minor, ut aeger adfirmat, lassitudinis sensus; quae vero cibis nutrientibus, animique et corporis quieti magis, quam medicaminibus aut electricitati iure tribuimus. Praescripta est versantibus hisce tinctura thebaica omni trihorio ad guttas decem sumenda, ita quidem, ut de die in diem dosis adaugeretur. Diaeta supra allata. Aeger opii usu optime se habuit: lassitudo omnino dispa-

ruit, tremores remiſerunt, perfectaque fuit ciborum adpetentia, caput liberum, ſomnus quietus. Alvus ſponte poſita, atque maius corporis incrementum. Aſt aucta in dies opii doſi poſt aliquot dies, guttis quadraginta omni trihorio ſumtis, aeger percepit ſubito temulentiam, dolorem capitis, oculorum obnubilationem, et adpetitum proſtratum, quin vero tremores redirent vehementiores. Continuata nihilominus per duos dies eadem opii doſi quum increſcerent dicta phaenomena, quotidie ſenſim illam imminuimus, usque demum ad decem guttas omni trihorio ſumendas deſcenderimus. Continuata per aliquot dies minori hac doſi mox aeger optime ſe habuit: evanuerunt recenſita phaenomena, neque in poſterum obſervatus eſt tremor. Ultimis curae huius diebus aegro iam reconvaleſcenti balnea tepida ordinabantur ad vires refocillandas, ſicque reſtitutus omnino die 24ta Maii noſocomium dereliquit.

Brandner.

Morbi ex abuſu Mercurii.

Perverſa Syphilidem tractandi methodo tam dire devaſtantur corpora humana, ut iis morbus ipſe minus infeſtus videatur, quam incautus uſus Mercurii praeparatorum, praeſertim Mercurii ſublimati corroſivi. Non infrequens obſervandi mihi fuit occaſio ortas inde haemoptyſes, pulmonum exulcerationes, dyſpnoeas, febres lenteſcentes, faucium ac narium ulcera inveterata, carie oſſium iuncta, narium haemorrhagias, dolores artuum lancinantes, oſſium tumores, inflammationes, cariem, integumentorum communium ulcera, et ſimilia.

Aegros variis hisce calamitatibus vexatos ac Medici opem implorantes, immenſam licet Mercurii copiam iam devoraverint, ut ſyphiliticos tamen mercurialibus denuo tractatos vidi, ob varia dicta ſymptomata, Mercurii effectus, praecipue ob faucium ac narium ulcera, ob dolores oſſium lancinantes, &c.

Sub hac rerum conditione magna ſemper erit diiudicandi difficultas, venereum an lateat adhuc virus, an morbus mere ſit Mercurii effectus? Non habemus ſigna characteriſtica. Morbus enim vel ſub larva aliorum morborum decurrit, vel mala Mercurio incommode ac perverſe adhibito ſuſcitata luis venereae faciem facile prae ſe ferunt, et ſcrupuloſiſſimo ſtatus praeteriti ac praeſentis examine vel parum vel nihil omnino eruetur. Triſte hinc aegrorum fatum, dum hydrargyro et praecipue Mercurio ſublimato corroſivo adhibito, perſtante ſumma in Medicos ac medicinam fiducia, miſerrime demum conſumantur. Unicum tantum, ſi vis, characteriſticum, quod ſaltem Medicum aegros tractantem in ambigua hac rerum conditione cautum reddere valet, eſt praecipue vel ingens hauſti iam hydrargyri copia, vel ſub eius repetito uſu dira cuiuscunque generis morbi exaſperatio. Ulcera enim, ſi prae aliis dictis incommodis adfuerint, uſu Mercurii peiorem induunt faciem, maiorem amplectuntur ſuperficiem, dolent, margines habent laxos et lividos, fundumque impurum atque lardaceum, et fere cicatriſata denuo exulcerantur, ichorem caſeoſum ex albo flaveſcentem ac virideſcentem, mox lympham tenuem, ſanguine liveſcente tinctam, emittunt. Vel accedit febris lenta, vel dolores nocturni et rodentes auguntur, vel exoſtoſes, tophi, gummata maius nanciſcuntur incrementum. Haecce

gravantur non raro perpetua ſalivatione, mox albeſcente mox puriformi, ſingulari oris foetore teterrimo, dentium eroſione, gingivarum, uti in ſcorbuticis, laxitate, exulceratione, aliisque. In hoc rerum ſtatu ſi ſepoſito hydrargyri uſu alia in auxilium vocaveris remedia, brevi aegroti vires reſtauratas, ulcera ſanata, dolores rodentes mitigatos, mox omnino profligatos, atque ſalivationem diminutam videbis: quibus vero neglectis mala omnem reſpuent medelam, atque aeger febre hectica ac maraſmo lente conſumetur. Inter remedia vero, quae vel a recentioribus vel a veteribus auctoribus multarum obſervationum laude commendantur, ad ſanandos hosce Mercurii copioſe ac perverſe adhibiti effectus, eminent opium, china balneaque tepida, quorum ego quidem miram atque felicem efficaciam obſervavi. Omnia, quae a viris fide dignis laudata leguntur, in diverſis et diverſo tempore frequentius, aſt ſine ſenſibili levamine, adhibui. Aſſa foetida opio nupta praecipue profuit in exoſtoſi, atque oſſium carie tam naſi quam reliqui corporis, ac doloribus oſteocopis; china vero cum opio optimum effectum habuit in ulceribus faucium pertinaciſſimis, cutis exulceratione, nimia ſalivatione, doloribus oſſium rodentibus, dolore capitis nocturno, haemoptyſi, ſudore nocturno, diarrhoea colliquativa, aliisque adfectionibus a debilitate ortis.

Foemina quaedam, 22 annos nata, anno praeterito lue venerea laboravit. Mercurii uſu malum ſanatum fuit: aſt eodem remedio immodice ac forſan perverſe adhibito exorta eſt ſalivatio ſat copioſa, qua vires aegrotae ita frangebantur, ut per totum hoc temporis ſpatium nulla frueretur ſanitate benigna.

Inter varias corporis calamitates praecipuae erant laſſitudo, dolores artuum lancinantes, capitis oppreſſio, aurium ſuſurrus, cordis palpitatio, anxietas, anorexia, pallor ac macies corporis. Hisce per breviſſima intervalla agitata, ſubito die 6ta Maii noctu corripitur horripilatione, horam unam durante, quam mox ſecutus eſt calor aeſtuans. Altera die quum ad veſperas aliqua ſuperveniret exacerbatio febris, aegrota die 8va Maii noſocomium adiit, ubi queritur de cephalalgia, languore, doloribus artuum vagis, mox maioribus mox minoribus, adauctis praeſertim, ſi corpus in lecto incaluerit, de tumore glandulae ſubmaxillaris ſiniſtrae, et loquelam et ciborum ſolidorum deglutitionem impediente, (fluida bene ſorbillare valuit,) de ſapore metallico, de ſalivatione, atque praeter ſalivam effluxit ore tenuis materia puriformis et foetida, fundum vaſis ſputatorii obtegens. Adfuit fluor albus, copioſus, virideſcens, et tam acris, ut partes vicinae eroderentur. Pulſum animadvertimus celerem, frequentem, parvum et debilem, nullam tamen horripilationem, neque calorem naturali adauctiorem. Ordinatur:

℞. Pulv. chinae regiae Unc. unam.
coq. cum aq. com. q. ſ. Col. Unc. octo
adde
Spirit. Minderer. Unc. unam.
Mel. ſincer. Unc. unam et ſemis.
Tinct. thebaic. Scrup. duos.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

Gargariſmata e decocto ſpecierum emollientium.
Pro diaeta portio quadrans.

Die 9na Maii. Nocte praeterita valde ſudavit, ex quo magnum ſenſit levamen. Tumor glandulae imminutus, deglutitio facilior, ſalivatio eadem,

debilitatis ſenſus per totum corpus, et dolores tam in oſſium corporibus, quam in iliorum apophyſibus per noctem vehementes. Cetera et remedia eadem.

Die 10ma et 11ma. Eadem.

Die 12ma. Nocte praeterita diarrhoeam vires magis exhaurientem paſſa eſt. Tumor glandulae et fluor albus evanuere. Salivatio et dolores eodem vigore perſeverabant. Eadem remedia.

Die 13tia. Nocte praeterlapſa valde ſudavit. E lecto mane ſurgens vomuit aliquoties, quo inſigniter debilitata eſt. Conqueritur inſuper de cephalalgia, doloribus colicis, nauſea omnium ciborum. Ceterum ſymptomata ſupra relata eadem. Ordinantur praeter mixturam Liq. anod. min. Hofm. ter de die triginta guttae.

Die 14ta paulo melius ſe habet. Vomitus ceſſavit; nocte praeterita dormivit, et ſudavit. Saporis metallici in ore ſenſui adſociantur ſalivatio, pulſus parvus, tormina imi ventris circa umbilici regionem, narium titillatio. Duobus abhinc annis vermes, et quidem quos lumbricos vocant, alvo exiiſſe refert. Ordinabatur:

℞. Pulv. cort. chinae regiae Unc. unam.
coq. cum ſ. q. aq. font.
ſub finem coctionis adde
Pulv. rad. Valerian. ſylv. Unc. dimidiam.
ſtent in digeſtione tepida vaſ. clauſ. per horae quadrant. col.
Colat. Unc. octo admiſce
Laud. liquid. Sydenh. Scrup. duos.
Mel. optim. Unc. unam et dimidiam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

Die 15ta. Debilitas corporis diſparuit. Pulſus eſt fortis et plenus, alvus aperta. Dolores vero vagantur in artubus. Salivatione imminuta redierunt

et adpetitus et ſomnus. Diaeta ac remedia eadem; regimen modice calidum.

Die 16ta. Nocte praeterita ſudor univerſalis foetens, ex quo magnum ſenſit levamen. Alvus naturaliter aperta. Nec minimum quidem fluoris albi veſtigium reſtat. Sapor metallicus et ſalivatio penitus evanuere; pulſus micat naturali modo, et adpetitus viget. Ordinatio eadem.

Die 17ma. Eadem. Ad aegrotae vires magis promovendas vini dimidia menſura cum dictis remediis ordinabatur.

Die 18va. Nocte praeterita ſubito diarrhoea acceſſit cum ſumma virium iactura. Ordinabatur itaque:

℞. Pulv. cort. chinae regiae Unc. unam.
coq. cum aq. font. Unc. ſedecim ad remanent. Unc. octo.
ſub finem coctionis adde
Pulv. rad. Valerian. ſyl. Unc. dimidiam.
ſtent in digeſt. per horae quadrant. vaſ. clauſ. col. in Colat. diſſolve
Extract. gent. rubr. Drach. unam et ſemis.
Adde
Laud. liquid. Sydenh. Scrup. duos.
Mell. depurat. Unc. unam et dimidiam.
MDS. Omni bihorio vaſculum dimidium potui Thee adcommodatum.

Die 19na. Ciborum nauſea, cephalalgia, oppreſſio circa praecordia, vomendi conatus, immo vero ſub tempus prandii aliquot vomitus. Pulſus ceterum bonus et cutis mador. Repetebantur eadem.

Die 20ma usque ad 23tiam. Eadem. Continuabantur medicamina.

Die 24ta. Eadem; aſt pulſus debilis et parvus. Hinc ordinabatur:

℞. Pulv. cort. chin. reg. Unc. unam.
coq. cum aq. font. q. ſ. Colat. Unc. octo
adde
Spirit. Minderer. Unc. unam et dimidiam.
Laud. liquid. Sydenh. Scrup. duos.
Mell. deſpumat. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio duo cochlearia.

Porro

℞. Camphor. Gran. duo.
Sacch. alb. Gran. decem.
M. f. pulv. dent. tal. doſ. Nro duodecim.
S. omni trihorio doſin unam.

Die 25ta. Melius ſe habet; pulſus enim fortis, nulla cephalalgia, neque pectoris et praecordiorum oppreſſio, neque nauſea, neque vomitus, immo adpetitus bonus, nox quieta, ſudor recreans, vires reſtauratae. Continuantur ſingula.

Die 26ta. Symptomata eadem, uti et remedia. Hisce remediis demum vires ſenſim ſenſimque reſtauratae ſunt, atque functionibus in ſtatu naturali verſantibus ſana omnino die 29. Maii dimiſſa eſt.

Billing.

Rheumatiſmus ſeu Arthritis.

Quid ſit Rheumatiſmus, quid Arthritis, ab auctoribus diſceptatur. Alii transſpirationi ſuppreſſae, alii miaſmati cuidam, ſenſibus noſtris adhuc ignoto, alii ſpecifico miaſmati, quod materiam vel rheumaticam dicunt, vel arthriticam, alii acrimoniae aut labi cuidam hereditariae praecipue in morbo, quem arthritidem vocant, tribuunt. Plerique conſentiunt, materiam quandam in corpore aegrotante latere, ſenſibus noſtris nondum ſatis detectam,

quae morbum hunc arthritidem et rheumatiſmum producere valeat.

Iure praeclari therapeutae de veritate talis materiae in corpore vel extra corpus exiſtentis dubitarunt, et falſae opinioni eorum, qui morbos illos ex ſuppreſſa transſpiratione explicarunt, noſtro aevo nemo facile favet. Eſt enim, ſive rheumatiſmus ſive arthritis, morbus ſolidi vivi, a quocunque ſtimulo, praeſertim vero frigoris, caloris et aeris viciſſitudine productus, vel artus, vel articulationes aliasve corporis partes doloribus lancinantibus tenens, quandoque cum febre, quandoque ſine febre decurrens, mox virium vitalium vigore, mox maiore minoreve debilitate ſociatus.

Potentiae nocentes variae, tam incitantes quam debilitantes, quae hominem per vices infeſtant, organorum diverſas functiones ipſaque organa ita immutare, modificare, immo perturbare valent, ut tandem perverſam induant formam, ac ſenſibus noſtris eum morbum repraeſentent, quem arthritidem ſeu rheumatiſmum vocamus. Qua vero ratione ea immutatio in ipſo organiſmo animali fiat; quaenam ſit ea forma, qua morbus ille produci debeat; quare morbus hic ſub eadem conditione potentiarum mox producatur, mox non, nemo adhuc explicavit, neque ego id auſim. Confert quidem ad morbum ſuſcipiendum corporis quaedam diſpoſitio vel acquiſita vel hereditaria, gracilitas nempe, ſolidorum laxitas et debilitas, victus, amictus, tempeſtatum ratio, vitae genus, et ſimilia: aſt et abſentibus his cauſis idem morbus obſervatur.

Sudor aliaque ſymptomata, quae in hisce morbis animadvertuntur, e. g. urina rubeſcens ſedimento multo lateritio vitri fundum ambiente, &c. minime probant, in corpore latere ſpecificam mor-

bi materiam, quae organis excretoriis eliminari debeat; mutatur enim organorum incitatio vi ſtimulorum in haec agentium, atque ex morboſa incitatione oritur perverſa ſecretio. Quae igitur excerni videntur, licet et quantitate et qualitate peccent, effectus morbi, non vero cauſae materiales ſunt: atque ſi copioſi, vapidi et foetentes ſudores in morbi fine cum levamine aegri adpareant, nil niſi morbum brevi fore ſolutum indicant. Sunt enim ſigna reſtituti organorum aequilibrii, redeuntis ad ſanitatem functionum ſecretionisque formae, variis antea potentiis nocentibus turbatae. Hinc, quae in corpore retenta forſan, et morboſa ſolidorum actione ac ſecretione immutata fuerant, nunc ſub finem morbi, revertente iuſto organorum vigore, excernuntur.

In arthritide aut rheumatiſmo ſimplici ratio praecipue habenda eſt febris, id eſt, an arthritis ſit acuta, nec ne. Porro ad cauſas praegreſſas, et ad aegrotantis habitum corporis ac conſtitutionem reſpiciendum eſt. Itaque pro febris ratione mox venae ſectionibus, mox ſalibus mediis, refrigerantibus, potu copioſo, tepido, mucilaginoſo, demulcente; mox, febre acuta profligata, antimonialibus, pulvere Doweri, veſicatoriis, cataplaſmate aeger tractandus erit.

In chronicis vero morbis prae reliquis laudatis medicaminibus eminent flores ſulphuris, antimonium crudum, camphora, aconitum, ac oleum therebinthinae, raſura ligni Quaiaci ac balnea tepida. Quaiacum vero ſolummodo aegris pallido habitu et imprimis frigida atque phlegmatica corporis conſtitutione praeditis profuit: aſt eodem exhibito teneris, macilentis et ſenſibilibus omnia ſymptomata exaſperata vidi: ingraveſcebant dolores, ſeque adſocia-

bant febris, capitis dolor, vertigo, anxietas, respiratio difficilis aliaque. Debilibus eiusmodi aegris magis profuere potus copiosi supra recensiti, antimonialia, spiritus Mindereri, opiata. In quocunque casu chronicae arthritidis usus quoque sum adiumentis externis, balneis tepidis, sulphureis aut e sapone veneto paratis, electricitate, et denique vesicatoriis, praecipue in arthritide unum constanter locum fixum tenente, uti in lumbagine ac ischiate. Saepius observavi in ischiate nervosa Cotunni vesicatorium iuxta nervi ischiatici decursum, longitudinaliter adplicatum, miros praestitisse effectus: qui si non fuissent secuti, et moxam in auxilium vocare animus fuit. Superato malo, evanidis doloribus exacerbantibus, remanente tantummodo dolore in parte quadam tensivo, amara quaecunque exhibui. Quae remedia id effecere, ut sensatio illa doloris tensivi, character a dolore vehementi remanens nervo ischiatico impressus, omnino elideretur.

Magnum ab auctoribus, praecipue a Lentin, promulgatum discrimen rheumatismum inter et arthritidem, quo morbi sanatio adiuvaretur, in ampla, quam exerceo, praxi vix inveni. Observavi quidem, morbum mox tenere articulos digitorum, manuum, cubitorum, humeri, genuum, pedum eorumque phalangum, spinam dorsi, mox ventriculum, hepar, intestinorum tractum, pectus, pulmonem, caput, mox intestinum rectum, vesicam urinariam, mox tendines, ligamenta, nervos, musculos, aponeuroses, regionem lumbalem, coxas ac femora, aliasque corporis partes: observavi quoque, morbum sub ea diversa forma mox vel cum febre, vel sine omni eius molimine sensibili adparere, immo acutam in chronicam arthritidem saepe

abire, atque mox cum partium dolentium rubore ac tumore, mox absque his, mox cum tumore solummodo decurrere. Haec vero symptomata nihil omnino characteristici statuunt, spectaveris sive morbos eiusdem naturae, sive tractandi methodum. Denominationes variae: Lumbago rheumatica, Ischias nervosa, Podagra, aliaeque praecipuam morbi sedem declarant magis, quam ipsum morbum ac eius tractandi methodum. Idem valet de rheumatismo ac arthritide.

Multo minus, quae statuebatur inter binos morbos, differentia in medicaminibus est quaerenda. A posteriori conclusio non sistit morbi cognitionem neque curationem. Itaque rheumatismum Mercurio sanari, ac arthritidem acido vitrioli, si verum esset, omnino non evincit horum morborum differentiam, neque probat, morbum utrumque propria ac diversa causa oriri, diversisque remediis curandum esse. Denominatio ad aegrotantis salutem nihil confert. Iure hinc de Haen ait: „Haud „iuvat disceptare, in ligamentisne et articulorum „capsulis, an in ipsa cute vel in nervis cuti sub„iectis arthritidis sedes figenda sit. Multum ar„thritis cum rheumatismo convenit, iisdemque „pene fontibus utraque derivatur, eodemque mo„do solvitur." Respiciendum potius, si naturam morbi ac curam sistere velis, ad praegressas potentias tam incitantes quam deprimentes, earumque diversam rationem, quantitatem et qualitatem, dein ad febris, morbum forsan comitantis, indolem, ad morbi durationem, ad morbos, quibus facile complicatur, ad morbi ipsius sequelas, dum saepius in letifera mala abire observatur, ad aegrotantis denique vires atque corporis habitum, et similia.

Arthritis.

Magdalena Weiniger, Freisingensis, 22 annos nata, quatuor liberorum mater, nunc vidua, gracilis, macilenti corporis et irritabilis, praeter varias molestias primae menstruationis tempore exantlatas, omni morbo fuit immunis. Quinque abhinc mensibus carnem foetentem summa nausea quum comedisset, menstrua eo tempore fluentia, statim evanida per duodecim hebdomadas non rediere. Duobus ante mensibus redibant quidem, sed anomala, usque tandem remediis excitantibus in pristinum ordinem redigerentur. Die 3tia huius mensis Bayreutho Bambergam, et quidem pedibus profecta. Die 4ta Bambergae navem ingressa, qua die vehemens cecidit pluvia, ut ad indusium usque madefieret. Accessit terror ingens, nauta, navem submersum iri, minitante. Subito horruit caluitque per vices, eademque nocte haemorrhagiam uteri perpessa est insignem, qua sex circiter sanguinis mensuras perdidisse se adserit. Adpetitus fuit prostratus, oris amarities, vomituritio, in utroque femore dolores lancinantes. Die 5ta in eadem rerum conditione ac aegritudine versabatur. Die 6ta Maii vero per totam diem curru vehebatur, durante adhuc haemorrhagia, ast parcius fluente. Die 7ma Maii, qua Wirceburgum venit, dolores lancinantes antibrachium tenebant, manumque ac digitos lateris dextri, praecipue articulationem.

Die 8va Maii vespere in nosocomium recepta est, durante adhuc haemorrhagia, doloribusque et tumore articulationum tam inferiorum quam superiorum extremitatum persistentibus. Pulsus, quum paulo ante quadrantem vini aqua diluti bibisset, frequens, parvus et subdurus. Alvus per totam diem clausa. Ordinavimus clysma emolliens.

Die 9na Maii. Nox inquieta et insomnis propter dolores, media nocte per bihorium summum frigus, quod insequebatur calor insignis et sudor, alvus semel sponte mota. Pulsus ut hesterna die. Insuper aurium susurrus, dolor capitis, nausea, lingua muco obducta, oris amarities, adpetitus prostratus, sitis, lassitudo. Articulorum praecipue carpi et tarsi dolores lancinantes fere fixi cum tumore, qui digiti impressioni omnino non cederet, non rubescente. Ob dolores vehementes aegra vix adtactum perferre, neque manus pedesve movere, neque flectere aut extendere valuit. Praescribitur:

℞. Sal. ammoniac. depur. Dr. unam et dimidiam.
Tart. emet. Gr. unum.
Aq. flor. sambuc. Unc. septem.
Roob sambuc. Unc. dimidiam.
Oxym. simpl. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio vasculum dimidium.

℞. Syrup. rub. Idaei. Unc. sex.
DS. pro potu aqua diluendas.

Diaeta tenuis.

Die 10ma. Nox bona, pulsus frequens, parvus et subdurus; dolores non adeo vehementes; abdomen tensum et tumidum. Ordinabantur duo clysmata emollientia. Manus dextra involvebatur linteo viridi cerato. Cetera uti et ordinatio eadem.

Die 11ma. Nox insomnis propter dolores non exiguos, qui etiam in manu sinistra augeri videntur, abdomen tensum et sub adtactu dolens, amarities oris, lingua paulisper impura, alvus nonnisi clysmate mota, caput occupatum, pulsus frequens, sed mollior. Praescribitur:

℞. Sulph. antim. aurat. Gr. unum.
Camph. ras. Gr. tria.
Sacch. alb. Scrup. unum.

M. f. pulv. pro dosi et dent. tal. dos. Nro octo.
Sig. Omni trihorio dosis una.

℞. Stipit. dulcamar.
Rad. altheae. aa. Unc. duas.
— liquirit. Unc. unam et dimidiam.
MDS. Species pro potu.

℞. Syrup. rub. Idaei. Unc. sex.
DS. pro potu aqua diluendas.

℞. Tinct. thebaic. Dr. tres.
DS. Omni vespere guttae decem sumantur.

Die 12ma. Nox insomnis quidem, tranquilla tamen; pulsus frequens et mollis, dolores lancinantes manum sinistram, praecipue articulationem, tenent tumentem atque rubentem, quae igitur linteo viridi cerato involvitur. Alvus semel mota. Amarities oris: dolores in femore nulli, mador totius corporis cum levamine. Ordinatio eadem.

Die 13tia. Nox insomnis. Dolores in utraque manu, nec non in genibus, praecipue sinistro, vehementes; calor urens in manibus, sitis ingens, amarities oris, lingua impura, alvus clausa, pulsus frequens, parvus et subdurus. Ordinatur clysma. Cetera eadem.

Die 14ta. Nox bona, absque omni dolore. Praegresso sudore sat largo alvus semel posita; amarities oris magis evanuit; lingua pura, pulsus magis elevatus et mollis; sitis nulla. *Vespere.* Pulsus durior, dolores pedum aucti. Ordinatio eadem.

Die 15ta. Nox ad horam usque 3tiam matutinam bona. Deinde vero dolores lancinantes vexabant omne brachium ad scapulas usque; pedum dolor nullus; alvus semel iniecto clysmate prolecta; pulsus subdurus, oris amarities. Ordinabatur:

℞. Flor. sulph. Dr. duas.
Crem. tart. Unc. dimid.

M. f. pulv. S. Tria cochlearia minora ſumantur omni hora, usque dum fiat alvi ſeceſſus.

Die 16ta. Nox bona. Ab hora 8va veſpertina usque ad horam 6tam matutinam arctiſſimo detenta ſomno dormivit; alvum ſemel depoſuit; ſudor univerſalis; dolores nulli, niſi in manu ſiniſtra pedibusque paulisper tumentibus. Propter ſegnitiem alvi ordinatur:

℞. Flor. ſulph. Dr. duas.
Crem. tart. Unc. dimid.
Pulv. rad. rhei Dr. unam.
MDS. Omni hora cochlear parvum.

Die 17ma. Alvus ter fuit aperta. Cetera eadem. Tumor pedum ac manuum increvit. Praeſcribitur:

℞. Sulph. aurat. antim. Gr. unum.
Camph. Gr. tria.
Sacch. alb. Gr. decem.
M. f. pulv. d. tal. doſ. Nro duodecim.
DS. Omni trihorio doſis una.

Pro diaeta portio quadrans, ac potus ordinarius. Regimen modice calidum.

Die 18va. Nox inquieta, alvus clauſa, dolores vehementes in utraque manu cum articulationum tumore, ut et in genu ſiniſtro; cutis mador, pulſus frequens et parvus. Continuavimus in medicina, diaeta et regimine.

Die 19na. Omnia eadem. Praeſcribitur:

℞. Spirit. Minderer. Unc. dimid.
Vin. antim. Huxham. Dr. duas.
Tinct. thebaic. Dr. unam et dimid.
MDS. Omni trihorio guttas triginta.

Die 20ma. Nox optima, ſudor univerſalis; nec tumor nec dolor ullus; febris nulla; alvus bis mota. Et ſic ſub continuato heſternae ordinationis uſu omnia ſymptomata hucusque commemorata in

dies ſenſim ſenſimque evanuere, ac functiones inſimul in priſtinum vigorem reſtitutae fuere. Recuperatis denique viribus omnino ſana noſocomium dereliquit 8va Iunii.

Brandner.

Iſchias nervoſa.

Iacobus Schell, Euerfeldenſis, vir 56 annorum, maritus, corporis ſat validi, iam a prima iuventute Chironomia vitam ſuſtentans, varias regiones peragravit. Aliquot abhinc annis quum haec ars a principe interdicta eſſet, domum revertere, ibique ad ſuſtentandam vitam onera portare, aliosque labores ruſticos peragere coactus eſt, et ſic ſaepiſſime corpore calente refrigerio ſeſe expoſuit. In ſubitanea hac vitae generis mutatione ſecunda tamen ſemper gaudebat valetudine, niſi quod in extremitatibus ſuperioribus quandoque pateretur dolores lancinantes rheumaticos, qui nonnumquam et lumbos occuparent, atque variis haemorrhoidum moleſtiis augerentur. Ineunte hyeme anni praeterlapſi dolorem ſenſit in crure ac pede dextro lancinantem, modicum initio, ſed ita paulatim increſcentem, ut pedibus incedere nusquam valeret, lectoque ſe tenere coactus eſſet. Adpropinquante tempore vernali malum hoc non ceſſit quidem omnino, ſed ita tamen imminutum fuit, ut pedibus incedere rurſus poſſet, doloresque dein ut aſpera tempeſtate augeri, ita amoena et ſerena imminui videbantur. Ante tres vero ſeptimanas tanta vi malum rediit, ut miſer nec ire, nec lectum amplius relinquere poſſet, in eoque ſtatu 15ta Maii ad noſocomium confugit.

Dolor prope os ſacrum incipiens omnino directionem nervi iſchiatici capit, atque per femur dextrum ad malleolum externum pedis dextri usque ſeſe

extendit, et ab adtactu augetur. Pulſus reperitur plenus et frequens. Cetera omnia naturalia. Praeſcribitur:

℞. Pulv. gum. Quaiac.
Flor. ſulph. aa. Unc. ſemis.
Crem. tart. Dr. ſex.
Eleoſacch. Foenicul. Dr. unam.
MDS. Omni bihorio duo cochlearia minora.

℞. Stipit. dulcamar.
Rad. alth. aa. Unc. unam.
— liquirit. Unc. ſemis.
MDS. pro potu.

℞. Linim. volat. camphorat. Unc. unam.
DS. pro infrictione partis dolentis.

Pro diaeta portio quadrans.

A die 16ta ad 23tiam usque omnia eadem: mox vero remiſere, mox rediere dolores. Ordinatur veſicatorium ad os ſacrum, locum maxime dolentem.

Die 24ta veſicatorio impoſito dolores non parum levabantur.

A die 25ta usque ad 28vam vix ulla conſecuta eſt mutatio: ſola pulſus frequentia hactenus praeſens remiſit, et naturalis adparuit. Ad medicamenta itaque transivimus magis irritantia, ut ſequitur:

℞. Pulv. gum. arab. Unc. ſemis.
ſolv. in aq. font. fervent. Unc. ſeptem. Adde
Tinct. Quaiac. volat. Unc. unam.
Syrup. diacod. Unc. unam et ſemis.
MDS. Capiat omni bihorio cochlear unum.

Diaeta eadem.

Die 29na. Dolores paulo mitiores. Iisdem circa malleolum externum vehementius ſeſe exſerentibus, infrictiones cum liniment. volat. camphorat. ibidem inſtituendae ordinantur.

Dieb. 30ma et 31ma eadem fere rerum condi-

tio, nisi quod dolores in malleolo vehementiores infrictionibus ordinatis mire cesserint.

Dieb. 1ma et 2da Iunii. Dolores quum iam suram magis occuparent, vesicatorium huic loco adplicandum decernitur.

Dieb. 3tia et 4ta Iunii. Omnia meliora. Vesicatoria hucusque adplicata maximam semper aegro tulerunt opem, ut et mixtura e tinct. Quaiac. volat. Nam dolores fere omnes evanuere, et sine fulcro extra lectum, licet cum difficultate quadam, obambulare valet. Ad morbum citius profligandum balneorum tepidorum usus praescribitur.

A die 5ta ad 9nam usque in melius res cedunt. Balnea eximiam aegro praestant opem, quuum iam per plures horas sine notabili difficultate ac dolore sub divo ambulare possit.

Die 10ma. Quum dolor fixus quidam in regione ischiatica per nervi ischiatici iter ad spatium manus extensi decurreret, ceteris functionibus optime valentibus, imponebatur vesicatorium ad locum dolentem.

Die 14ta. Sanato vesicatorio et dolor evanuit, ita ut nullus nisi tensivus dolor sine omni incommodo deambulanti aegro remanserit. Ordinabatur:

℞. Extract. trifol. fibrin. Drach. duas,
— — cort. peruv. Dr. unam.
sol. in aq. melisf. Unc. sex.
Spirit. Minderer. Unc. unam et dimid.
Mell. optim. Unc. unam.
MDS. Sumat omni bihorio cochlearia duo.

Hoc remedium usque ad finem Iunii inter diaetam lautiorem, i. e. portionem dimidiam ac modicum vini usum, continuabatur. Restauratis denique viribus, perfecte sanatus die 30ma Iunii nosocomium dereliquit.

Heller.

IUNIUS.

Per dimidium menſem usque ad 16tam diem percalida fuit ſerenaque tempeſtas. 8va tantum calidiſſima, tonitrua imbremque lapideum habuit. Die 17ma calida tempeſtas cum tonitribus ad veſperam. Die 18va usque ad 23tiam tempeſtas variabat, mox ingrata et frigida, mox ventoſa et pluvioſa. A 24ta usque ad finem huius menſis calida ac grata tempeſtas. Vix vero dies eo tempore fuit non pluvioſa.

Intermittentes per menſem durabant febres, plures ac paulo pertinaciores. Aliae tertianae; aliae, pauciores licet, quotidianae, ſymptomatibus iisdem, ac priori menſe, decurrentes. Opium ſolum alii medicamini innuptum, octo aut decem horas ante paroxyſmum ad granum unum et dimidium omni bihorio, in nonnullis etiam omni hora propinatum, nihil omnino febri neque profligandae neque mitigandae contulit. Ut priore, ita et hoc menſe opium repetita vice auctaque doſi per brevia intervalla ante paroxyſmi tempus exhibitum effectus exoptatos minime praeſtitit. Aſt corticis peruviani ſcrupuli duo aut drachma una omni bihorio extra paroxyſmum, atque dein brevi ante paroxyſmum opii granum unum, vel in levioribus febribus dimidium mox profligarunt febrem. Variae corticis peruviani ſpecies examini ſubiectae, cortex de Quidó, china flava ſeu regia, cortex braſilienſis effectu non differebant: num vero quantitate aut qualitate non differant, experimenta inpoſterum inſtituenda docebunt. Reliqua ſummis laudibus promulgata febrifuga ſic dicta, cortex ſalicis, quercus Hippocaſtani, radix gentianae, caryophyllatae, tormentillae non effugere ſcrutinium noſtrum; ſed

ea temporis periodo vel parum vel nihil, etſi opio iungerentur, praeſtitere. Iuvabant forſan alios alioque tempore. Dubitare ſaltem licet, an omnia, quae excitant ac roborant, medicamina diverſis modis, temporibus ac doſibus exhibita ſufficiant ad depellendam hanc febrim. Sunt quidem, qui adfirment: noſtrarum autem febrium vernalium obſervatio atque cura contradicit. Laudata febrifuga vincent certe leviſſimas febres, quales vernales plerumque ſunt, quae etiam nullo adhibito medicamine aut ſolo ſalis ammoniaci uſu ſilent: num illa vero et graviores profligare febres valeant, iure dubitatur. Quare cortici peruviano, niſi pluribus experimentis convictus fuero, ſpecificam virtutem denegare vix poſſum.

Febre diutius iuſto detentis, phlegmaticis, debilioribus, cachecticis, quorum oris labia pallent, facies flaveſcit ac tumet, atque abdomen laxum tumidumque dolet, pedes oedemate turgent, organa digeſtionis multis moleſtiis gravata ſunt, ut inadpetentia, anorexia ad quaecunque adſumta, praecordiorum oppreſſione, alvi inertia &c. mirum exhibuit effectum vinum amarum ſequenti medicamini iunctum atque extra paroxyſmi tempus propinatum, vinum ter per diem ad unam ac duas uncias, medicamen vero omni hora aut bihorio ad duo vel tria cochlearia parva. Huius enim medicaminis uſu intra paucos dies dicta incommoda remiſere, denique una cum febrili inſultu ſiluere.

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. unam.
Extr. amari
Aq. font. deſtillat. q. ſ. ſolut. Dr. duas.
Fl. ſal. ammoniac. martial. Dr. tres.
Mell. optim. Unc. quinque.
M. f. l. a. Elect.
D.

Quod autem diaetam attinet, cuivis ex febre intermittente laboranti praeter regimen ſemper modice calidum ordinavi poſt quemlibet paroxyſmum iuſculum carnis ex hordeo aut oryza paratum, et valde debilibus vinum aqua dilutum porrexi. In tertianis die apyretica et portionem quadrantem, atque pro potu vinum aqua dilutum conceſſi, ſi aegrotans illa ſumere, ac pro morbi indole digerere valuit. In paroxyſmo autem propinavi potus copioſos tepidos ex decocto hordei cum melle, infuſum flor. ſambuc. ſeu chamomillae, et quandoque hauſtum aquae fontanae. Quatuor horis ante paroxyſmum non licuit aegris cibi quid ſumere, ne digeſtio in ipſum incidens paroxyſmum laederetur, febrisque augeretur.

Morbi in univerſum non multi fuere, maxima parte chronici, hoc menſe vulgares, quorum nonnullos, licet minus graves, notabiliores tamen, hoc tempore graſſantes exponam.

Diarrhoea habitualis iure potentiis debilitantibus praegreſſis, praecipue purgationi nimiae adſcribitur, quae ſaepiſſime a Medicis et Medicaſtris ſine omni diſcrimine ordinatur. Non curant monita noſtro tempore variis in libris novellisque literariis adlata, quibus abuſus ac tumultuaria purgantium exhibitio damnatur; et, ſpernentes ulteriora rei medicae ſtudia, ſua methodo, cui iam ab ovo adſueti ſunt, contenti, minime terrentur ancipiti experimento, etſi quotidie morbum purgantibus adaugeri, univerſi corporis organiſmi incitationem minui, morbosque, levi medicamine profligandos, in pertinaciſſimos ac graviſſimos ruere videant.

Sunt tamen prudentes Medici complures, qui doctrinam illam in variis Germaniae ſcholis depraedicatam, omnes fere morbos e ſordibus primarum

viarum derivandos esse, ad vanas et inanes phantasias referant, omni veritate et recta observatione destitutas. Si quae mala emeticum aut purgans exigunt, erunt forsan ab indigestione orta, neque febres, quas dicunt gastricas, ita adpellandas censeo, quarum quippe causa ac fons inter praecordia non latet, sed alibi potius quaerendus est, ut magis edocet verum organismi animalis studium, iudicium et experientia. Minime enim morbi illi antigastricis, neque solventibus, neque emeticis, neque purgantibus organismi animalis incitationem ac incitabilitatem devastantibus tolluntur.

Alius, de quo sermonem faciam, morbus erat renum peculiaris adfectio a sabulosis et calculosis concrementis suscitata. Multifariis iam lithontripticis sic dictis, uva ursi ab Haenio maxime, aqua calcis cum sapone a Stephens, lixivio saponario a Iurin et Chittiks, alcali vegetabili ac minerali, aere fixo a Percival, Saunders, Hulme magnopere laudatis aliisque remediis instituí experimenta: nullum vero votis magis respondit, quam aqua mephitica alcalina a Colborn et Falconer commendata. Absit tamen, ut huic aliive remedio vires lithontripticas tribuam, i. e. virtutem, calculos in rene solvendi, aut deterendi, abradendi. Videtur potius grato suo stimulo urinae secretionem adaugere, qua postmodum sabulosa concrementa ac minores calculi una cum muco glutinoso excernuntur. Aut forsan haec aqua alia et singulari gaudet, calculos depellendi, virtute sub sensus non cadente, qualem multis adhuc medicaminibus tribuimus, quorum effectum, minime tamen effectus causam novimus. Quamquam ad expellendos calculos maiores ac perfecte formatos illud remedium nihil omnino conferre experti simus, plures

tamen nobis innotefcunt homines, calculofis et fabulofis concrementis ac multis exinde ortis moleftiis adfecti, aquae huius ufu reftituti. Incommoda enim mox ceffabant, atque per urinas multa alba glutinofa materies fedimento fabulofo per longum temporis intervallum cum quodam urethrae ardore eiiciebatur. Alba illa materies pauculo tempore fibi relicta friabiles formavit rubros vel albidos lapillos, urinaque blandam fenfim amplexa eft indolem, neque in urinis amplius cernebatur arena: quibus perftantibus ardor urethrae utique evanuit, et aegri poftmodum eam recuperarunt fanitatem, ut et poft multos annos calculofis adfectionibus immunes vixerint, et hodiedum vivant. Neque in morbo hoc calculofo folum, fed et in aliis renum, veficae ac uretherum morbis, medicamen illud iuvare, immo mucum atque gluten vafa renum excretoria obdurans illo referari, atque e corpore eliminari, veficae ulcera, uretherum ac pelvis renum exulcerationes depurari ac fanari obfervatum eft. Quod fi interea contingit, ut aut nimia mali intenfitate, aut partium deftructione, aut labe quacunque alia corpus tenente ac depafcente homo non liberaretur, immo periret, nihil id derogaret remedii praeftantiae, quippe quum omnium vel optimorum remediorum ea fit natura, ut intra certos tantum mali limites agant, et extra eosdem agere nequeant. Sufficit etiam in eiusmodi cafibus eam remedii deprehendere efficaciam, ut, quum fpes nulla adfulgere videatur, faltem inexfpectatum adferat levamen.

Aquae huius alcalinae iuxta formam Falconeri paratae aegrotans mane per tres vices uncias fedecim ad viginti quatuor fumfit. Quantitatem vero femper aegrotantis viribus ac ventriculi praefertim robore metiebar. Ad quae diiudicanda nifi vitae

ante actae ratio corporisque conſtitutio ducerent, effectus aquae propinatae iuvabat, quam caute ſemper porrexi, ne digeſtio unquam laederetur, ventriculus gravaretur, anxietas, pectoris oppreſſio, cardialgia, colica, ventris infiatio, diarrhoea aliaeque orirentur moleſtiae, quas non raro ab immodico aquae uſu, nunquam a modico proveniſſe vidi. Eas tamen, ſi adparebant, uſus roborantium amarorum diſſipavit; nonnunquam ſtatim in initio ad praecavenda haecce incommoda cum aqua mephitica alcalina ſimul et roborantia exhibui.

Febris intermittens quotidiana.

Typographus quidam, 25 annos natus, corpore cachectico, morbos infantiles ſine ullo ſanitatis detrimento ſuperavit ita, ut usque ad 19num aetatis ſuae annum optime valeret. Aſt ex eo tempore, quum vitam ageret vagam, nunc ſyphilide, quae uſu Mercurii ſanabatur, nunc febre, ut aiunt, putrida, nunc intermittente, nunc pedum ulceribus laboravit; quo factum eſt, ut vires corporis omnino deiicerentur. Sex abhinc ſeptimanis, quum magnam ovorum durorum copiam comediſſet, ſimulque cereviſiam multam ingurgitaſſet, correptus eſt paulo poſt nauſea, vomituritione, praecordiorum preſſione. Exhibuit Medicus quidam vinum emeticum, non emeſin movens, ſed diarrhoeam. Hac aliquot poſt diebus ceſſante vexatur frigore corporis, ſubſequente calore, cephalalgia, ſiti multa, nauſea, vomituritione ſudoreque largo. Singulis diebus hora ſexta matutina hoc detentus aeger paroxyſmo febrili, tempore apyrexiae iter proſequitur, et in urbe noſtra petit noſocomium, ubi 31ma Maii veſpere recipitur. Reperimus habitum corporis

cachecticum, faciem valde pallidam, linguam muco albeſcente obductam, adpetitum nullum, reſpirationem brevem et anxiam, calorem corporis auctum, pulſum parvum, debilem parumque frequentem, abdomen molle, alvi et urinae excretionem naturalem, ſummam artuum laſſitudinem atque debilitatem.

1ma Iunii. Aeger non dormivit; hora 7ma matutina acceſſit frigus per duas horas, ſubſequente calore, cephalalgia, ſiti vehemente, reſpiratione anxia. Abdomen tumuit, et ſub adtactu doluit. Elapſis aliquot horis ſudor largus, et ſic paroxyſmus finitus. Ordinatur:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. unam.
coq. c. aq. fontan. Unc. ſedecim
ad remanent. Unc. octo. Colat. adde
Extract. trifol. fibrin. Dr. duas.
Mell. deſpumat. Unc. unam.
MDS. Capiat omni hora cochlear unum.

Diaeta leniter nutriens apyrexiae tempore.

2da Iunii. Paroxyſmus febrilis hora dimidia hodie anticipavit: aſt ſymptomata multo mitiora obſervantur. Queritur aeger de dolore hypochondrii ſiniſtri punctorio. Abdomen tumet; alvus aperta. Tempore apyrexiae bene ſe habet. Repetatur mixtura. Diaeta eadem. Praeſcribitur:

℞. Camphor. Dr. unam.
Spirit. ſal. ammoniac. cauſt. Dr. duas.
Unguent. altheae Unc. unam et dimid.
MDS. ad inungendum hypochondrium ſiniſtrum.

3tia Iunii. Hora 7ma matutina febris redit heſterna vehementior: dolor vero hypochondrii ſiniſtri punctorius ſilet. Alvus aperta. Ordinatur:

℞. Pulv. cort. peruv. Dr. unam.
Det. pro dosi, et dent. tal. dos. Nro octo.
Sig. Sumat omni hora dosin unam.
Habeat ante paroxysmum quindecim guttas Laud. liq. Sydenh. Diaeta eadem.

4ta Iunii. Febris hora 7ma matutina ingruit, et queritur aeger insuper de scotomia quadam oculi sinistri. Mox finitur paroxysmus. Medicamina et Diaeta eadem.

Vespere. Bene se habet; reperitur pedum intumescentia.

5ta Iunii. Aeger bene dormivit, et febris dimidia hora serius ac heri rediit, diutius tamen durans. Pedes intumescunt. Non adpetit; alvi et urinae excretio naturalis. Repetantur pulveres, et augeatur dosis Laud. liq. Sydenh. ad guttas viginti. Diaeta eadem.

6ta Iunii. Hora 7ma matutina febris ingruit multo vehementior. Sudor per omne corpus diffusus magnam inducit debilitatem. Cetera eadem.

7ma Iunii. Initium paroxysmi febrilis hora 8va cum symptomatibus mitioribus. Medicamina ac Diaeta eadem.

8va Iunii. Paroxysmus hesterno serius aegrum infestat: ast frigus diutius instat, et hypochondrium sinistrum sub adtactu valde dolet. Alvus aperta. Cetera eadem.

9na Iunii. Eadem ac heri hora febris redit cum sudore copiosissimo. Remanent vero cephalaea, et dolor hypochondrii sinistri punctorius, abdomen tumidum et tensum, alvus aperta. Ordinatur:

℞. Extract. amar. Dr. duas.
sol. in s. q. aq. destillat.
Dein adde
Pulv. cort. peruv. Unc. dimidiam.

Flor. ſal. ammon. martial. Dr. tres.
Mell. depurat. Unc. quatuor.
M. f. Electuarium.
Sig. Sumat omni hora duo cochlearia parva.
Ante paroxyſmum habeat viginti quinque guttas
Laud. liq. Sydenh. — Diaeta eadem.

10ma Iunii. Febris ſerius ac heri incipit, eadem vehementia ac diutius perſeverans. Dolor hypochondrii non imminutus. Medicamina ac Diaeta eadem.

11ma Iunii. Hora 7ma ingruit febris, aſt mitis, nec tam diu inſiſtit. Dolor hypochondrii fere nullus. Adpetit; alvi et urinae excretio naturalis. Cetera eadem.

12ma Iunii. Eadem rerum ut heri conditio. Medicamenta atque Diaeta eadem.

13tia Iunii. Hora 7ma accuſat horripilationem, quam paulo poſt ſequitur ſudor. Adpetit, et alvus eſt aperta. Repetuntur medicamina. Diaeta eadem.

14ta Iunii. Febris non adparet. Omnes functiones in ſtatu ſano, nec queritur aeger, niſi de magna corporis debilitate. Medicamina ac Diaeta eadem.

15ta Iunii. Omnia eadem, ut heri.

16ta Iunii. Nulla febris. Debilitatem ſi excipis, aeger bene ſe habet. Adpetitus bonus, abdomen tamen tumidum, ab adtactu parum dolens. Alvus aperta. Cetera eadem.

17ma et 18va Iunii. Omnia eadem.

19na Iunii. Quater alvum exonerat: ceterum excepta debilitate bene ſe habet. Ordinatur:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. unam.
coq. c. aq. fontan. Unc. ſedecim ad remanent. Unc. octo.
Colat. adde
Extract. amar. Dr. duas.

Liq. anod. mineral. Hofm. Scrup. duos.
Mell. depurat. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.
Diaeta: portio dimidia, et quarta vini generosi mensurae pars.

20ma Iunii. Omnes functiones in statu sano: perstat tamen debilitas, quae vero remediis hisce continuatis post aliquot dies profligata fuit, ita, ut integra gauderet sanitate. Reliquum erat ulcus chronicum pedis dextri ex longo per pedes itinere ortum, quo tandem sanato 11ma Iulii nosocomio valedixit, atque munus typographi in urbe nostra subiit.

Eberhardt.

Febris intermittens tertiana.

Michael Pfeiffer, Vitihoechheimensis, 19 annos natus, corpore valido, a prima iuventute labore hortensi occupatus, die 23tia Aprilis paulo post, quum mane multum panis secalini ac frustum carnis non calefactae comedisset, cardiae pressionem doloremque capitis sentit, et quum nihilominus labores solitos faeeret, expositus per diem capite nudo solis radiis ventisque frigidis tum spirantibus, vespere queritur de dolore capitis aucto atque doloribus extremitatum inferiorum lancinantibus. Per noctem iisdem vexatus symptomatibus non dormit; mane horripilatione et aestu mox subsequente correptus in lecto sese tenere cogitur. Adsociantur nausea, linguae sordities, vomituritio, circa meridiem diarrhoea, ut ait, aquosa. Nocte continuant cephalaea, aestus, sitis multa, insomnia. 25ta Aprilis mane accedit dolor in cavo pectoris dextro, inspiratione auctus. Hisce detentus symptomatibus eadem die Aprilis nosocomium ad-

iit. Praeter ſymptomata iamiam recenſita pulſus tangitur pavus, debilis, frequens; adſunt artuum laſſitudo, aurium ſuſurrus, ita ut morbus formam febris rheumaticae cum ſymptomatibus nervoſis adfectaret. Praeſcribitur:

℞. Pulv. rad. Valer. ſylv. Dr. tres.
infunde c. aq. fervent. Unc. octo.
ſtet in digeſt. per quadrant. horae.
Colat. adde
Spirit. Minder. Unc. unam et dimid.
Mell. depurat. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

Habeat diaetam inanem et decoctum ordinarium tepide bibendum.

26ta Aprilis. Aeger omni febre liber reperitur. Accuſat dolorem capitis obtuſum; non adpetit; dolores artuum lancinantes adhuc inſiſtunt. Alvi et urinae excretio naturalis. Repetatur mixtura. Diaeta conſiſtat ex portione quadrante, et pro potu habeat aquam parva vini doſi dilutam.

27ma Aprilis. Circa horam 9nam matutinam paroxyſmus rediit vehemens, ad horam 6tam veſpertinam durans, ſudore totius corporis finitus. Continuatur medicina. Die febrili diaeta inanis, et pro potu infuſum flor. ſambuc. et decoctum hordei.

28va Aprilis. Apyrexia. Ordinatur:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. dimidiam.
Extract. amar. in ſ. q. aq. font. deſtillat. Solut. Dr. duas.
Flor. ſal. ammoniac. martial. Dr. tres.
Mell. depurat. Unc. quatuor.
M. f. Electuarium.
DS. Omni bihorio duo cochlearia parva.

Pro diaeta portio quadrans.

29na Aprilis. Circa horam 6tam febris aegrum adficit, aſt priori longe lenior. Continuatur electuarium.

30ma Aprilis. Apyrexia. Aeger non adpetit, alvi et urinae excretio naturalis. Repetuntur eadem.

1ma Maii. Hora 2da matutina paroxyſmus febrilis aegrum invadit, priori ſimilis. Loco electuarii aegro faſtidioſi ordinatur:

℞. Pulv. cort. peruv. Scrup. duos.
Det. pro doſi et dent. tal. doſ. Nro duodecim.
Sig. Omni bihorio doſin unam.

Diaeta eadem.

A 2da usque ad 10mam Maii. Febris, intercedente apyrexia, iisdem ſtipata ſymptomatibus aegrotum vexat, ita tamen, ut mox duabus mox tribus horis anticiparet. Ceterum aeger non adpetit, tempore apyrexiae dormit, et ſat bene ſe habet. Alvi et urinae excretio naturalis. Medicamina ac Diaeta uti 1ma Maii.

10ma Maii. Hora 10ma matutina ſentit aeger horripilationem. Pedes intumeſcunt. Cetera eadem. Praeterea ordinatur:

℞. Vin. amar. Unc. ſex.
DS. Sumat ter de die Unc. unam.

11ma Maii. Apyrexia. Alvi et urinae excretio naturalis. Medicamina et Diaeta eadem.

12ma Maii. Mane adficitur horripilatione: magnam accuſat corporis debilitatem; non adpetit; ſomnus inſomniis interruptus. Alvus aperta. Ordinatio eadem.

13tia Maii. Apyrexia. Repetuntur medicamina. Diaeta eadem.

14ta Maii. Hora 1ma pomeridiana queritur aeger de frigore mox disparente. Sequitur calor, ce-

phalaea, ſitis, et poſt dimidiae horae ſpatium febris finitur. Medicamenta et Diaeta eadem.

15ta Maii. Febris nulla, et aeger ſat bene valet. Ordinatio eadem.

16ta Maii. Hora 12ma meridiana accedit febris priori ſimilis, inſequente ſudore largo. Cetera eadem.

17ma Maii. Apyrexia. Queritur vero mox de nauſea, mox de bulimo, pica, narium pruritu, de dolore circa umbilicum carpente, de ſenſu titillationis per tubum inteſtinalem et ad anum. Pupillae obſervantur dilatatae, facies pallet, ſapor oris amarus, continuus ſalivae ſcreatus. Praeſentibus hisce ſymptomatibus, quum ante ſex ſeptimanas vermem inſuper alvo edidiſſet praelongum, perſuaſi, vermium irritamento forſitan febrem prolongari, ſequentia propinavimus:

℞. Pulv. ſem. ſanton.
Pulv. rad. valer. ſylv. aa. Dr. tres.
— — filic. Dr. duas.
M. f. pulv. Det. Sig. Sumat omni trihorio duo cochlearia minora.

18va Maii. Circa horam 11mam adficitur horripilatione, quam excipit ſudor largus. Reliqua ut heri perſeverant. Bis alvum ſine verme depoſuit. Medicamenta eadem.

19na Maii. Apyrexia. Symptomatibus, ut aiunt, verminoſis, ſupra recenſitis accedit abdominis tumiditas, murmura ventris, alvus clauſa, flatus foetentes. Hinc alvum, forſan et ad vermes depellendos, leniter movere conſtituimus. Ordinatur:

℞. Mercurii dulc. Gr. tria.
Pulv. rad. rhei Gr. decem.
Sacch. alb. Gr. quindecim.
M. f. pulv. Det. pro doſi et dent. tales doſes Nro tres.

Sig. Habeat omni trihorio dosin unam, usque dum alvus fuerit aliquoties mota.

20ma Maii. Apyrexia. Semper adhuc insistunt eadem symptomata verminosa. Pluries iam alvus foetida soluta sine verme. Repetantur pulveres.

21ma Maii. Aeger non dormivit. Eadem adsunt symptomata, quin immo aucta. Quater alvum foetidam et aquosam exonerat. Reperimus aegrum valde lassum, circa horam undecimam meridianam vexatum horripilatione, calore et denique sudore. Duabus pulveris dosibus simul sumtis glandulae submaxillares tument, uti et gingivae. Augetur salivae screatus. Fiducia in talem symptomatum verminosorum cohortem decepti medicamina, ut aiunt, antihelmintica seponimus. Elucet inde, quantopere symptomata, ut dicunt, verminosa sint fallacia, quum potius tubi intestinalis debilitatem ac robur imminutum, quam vermium praesentiam indicant. Quomodo adhuc signa illa gastrica aut verminosa in morbis asthenicis, roborantium et excitantium usu profligandis nos fefellerint, historiae huius continuatio docebit. Debilitas enim augebatur, uti et febris vehementia, quae omnino disparuit, rediit, et evacuatione hac, licet pro symptomatibus indicata videretur, corpore magis debilitato eam adepta est pertinaciam, ut medicaminibus excitantibus et roborantibus insolito resisteret. Ex hoc et multis aliis casibus in nosocomio quotidie fere obviis patet, quam perniciosa sint in febribus intermittentibus resolventia atque evacuantia, quae, si morbus tantummodo fuerit ab indigestione ortus, in nonnullis forsan adhiberi possunt. Experientia insuper ad aegrorum lectos instituta nos edocet, febres intermittentes a debilitate universali ortas excitantibus ac roborantibus celerrime

optimeque profligari. Symptomata illa a Gastricis descripta magis adfectioni organorum digestionis morbosae, quam saburrae tribui debent, et febrium sequelae, debilitati resolventibus atque evacuantibus suscitatae iure adscribenda sunt.

Febre evanida praescripsimus Laud. liq. Sydenh. Drachmam unam, cuius omni trihorio sumsit guttas quindecim.

Vespere queritur de horrore, aestu, oris amaritie, anorexia, vomituritione, et cardiae pressione. Bis alvum foetidam aquosam deposuit.

22da Maii. Nox inquieta, accusat cephalaeam corporisque debilitatem. Non adpetit. Alvus clausa. Ordinatio eadem.

23tia Maii. Hora 11ma matutina frigus vehemens calorque insequens aegrum invadit, ita, ut usque ad horam 4tam vespertinam alternatim infestent. Symptomata autem verminosa multum imminuta. Alvus aperta. Ordinatur:

℞. Pulv. rad. Valer. sylv. Unc. dimidiam.
infunde c. aq. ferv. Unc. octo.
stet in digest. per quadrant. horae. Cola.
in colat. dissolve
Extract. cort. peruv. Dr. duas. Adde
Laud. liq. Sydenh. Dr. dimidiam.
Mell. depurat. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio habeat cochlearia duo.

Diaeta eadem.

24ta Maii. Horror ac aestus continuo alternant. Pulsus tangitur frequens, debilis ac parvus. Accusat cephalalgiam, nauseam, sitim, artuum lassitudinem, sic, ut morbus faciem continuae febris nervosae referat. Ordinatum est:

℞. Aq. fontan. Unc. sex.
Laud. liq. Sydenh. Scrup. unum.
Syrup. diacod. Unc. unam et dimid.

MDS. Sumat alternatim cum ultima mixtura omni bihorio cochlearia duo.

Vespere. Melius se habet. Glandularum intumescentia atque salivae screatus, odor ex ore pravus, ut in ptyalismo contigit, multum imminutus.

25ta Maii. Hora 12ma meridiana febris lenior aegrum invadit, ad horam 3tiam pomeridianam durans. Ordinatio eadem.

26ta Maii. Hora 1ma matutina paroxysmus febrilis redit, hesterno similis, diarrhoea aquosa concomitatus. Medicamina eadem.

27ma Maii. Apyrexia. Salivatio modica, diarrhoea paulo imminuta. Medicamenta atque Diaeta eadem.

28va Maii. Hora 2da matutina ingruit febris, ad horam 4tam durans, largo sudore finita. Praescribitur:

℞. Alcohol. cort. chin. de Quido Scrup. duos.
Det. pro dosi et dent. tal. dos. Nro duodecim.
Sig. Sumat omni bihorio dosin unam.

Habeat praterea mane et vespere guttas quindecim Laud. liq. Sydenh. — Diaeta eadem.

A 29na Maii usque ad 7mam Iunii. Paroxysmi febriles ratione typi et vehementiae inter se differunt. Tempore apyrexiae aeger se sat bene habet: ast non adpetit, et torpor universalis in aegro observatur. Quare emeticum non ad evacuandum, sed ad excitandum praescripsimus.

℞. Tart. emet. Gr. unum.
Pulv. rad. Ipecacuanh. Gr. quindecim.
Sacch. alb. Scrup. unum.
MDS. Habeat pro dosi.

Licet adfuerint omnia symptomata evacuationem invitantia, universali debilitati ac torpori iuncta, aeger tamen ter vomendo nil nisi paululum materiae aquosae eiecit.

9na Iunii. Hora 1ma matutina febris leniſſima rediit. Pulſus, etiam apyrexiae tempore valde frequens, fit magis tardus. Aeger magis adpetit. Alvus recte ſoluta. Continuantur pulveres ex china.

10ma Iunii. Apyrexia. Aegrotus optime ſe habet. Repetantur pulveres. Diaeta eadem.

11ma Iunii. Hora 1ma matutina horripilationem ſentit, ſed mox redormit. Mane omnes functiones in ſtatu ſano reperimus. Ordinatio eadem.

12ma Iunii. Apyrexia, et aeger bene ſeſe habet. Adpetit. Alvi et urinae excretio naturalis. Ordinatio eadem.

13tia Iunii. Hora 11ma nocturna horripilatione e ſomno excitatur, et non ſequente calore mox redormit. Mane accuſat nonniſi corporis debilitatem et artuum laſſitudinem. Repetuntur pulveres.

14ta Iunii. Apyrexia. Aeger queritur nonniſi de corporis debilitate. Omnes functiones integrae. Medicamina eadem.

15ta Iunii. Febris non adparet. Bene dormit et adpetit aeger. Alvus ſoluta. Cetera eadem.

16ta Iunii. Febris ſilet, nec leviſſima eius molimina redeunt. Omnes functiones reperiuntur ſanae.

His continuatis per octo dies remediis, lautioribus dein cibis vinoque conceſſis vires reſtituebantur, febreque nunquam redeunte, functionibus omni vigore auctis, die 30ma Iunii omnino ſanatus noſocomium dereliquit.

Heller.

Diarrhoea habitualis.

Ancilla quaedam, 24 annos nata, optima ſemper gaudens ſanitate, ſex abhinc annis dyſenteria labora-

vit, et dein mox eryſipelate, mox vertigine, verminoſis hyſtericisque adfectionibus adflicta eſt. Anno praeterito, partu graviſſimo, etſi non maritata, prolem enixa eſt, inſequente lochiorum fluxu largiſſimo, quo durante Medicus quidam ob ſigna gaſtrica purgans draſticum propinavit tanto cum effectu, ut alvum plus quam vigeſies aegra deponeret. Ex illo tempore diarrhoea fere perpetua eam vexavit, quae doloribus colicis hyſtericisque adfectionibus iuncta et habitualis quaſi vires multum fractas pene exhauſit. In noſocomium 23tia Maii recepta, habuit faciem pallidam, genas laete rubentes, leves inflammationes oculorum admotis lucis radiis dolentium, habitum corporis gracilem et laxam fibrarum compagem, levi motu facile irritandam. Queritur de dolore capitis gravativo, de ſopore, reſpiratione moleſta, pectoris oppreſſione ac conſtrictione, doloribus colicis, alvo depoſita ad tempus aliquod ceſſantibus. Quater vel quinquies per noctem alvum aquoſae magis indolis exoneravit. Adpetitus bonus, immo edendi cupido; aſt mox ſatietas, atque cibis deglutitis gravatio, digeſtio laborioſa et ſtipata ructibus flatibusque cum levamine quodam emiſſis. Pulſus parvus, debilis et frequens; ſenſus caloris et frigoris alternans, narium pruritus cum defectu muci ſecreti, ſequente interdum ſanguinis ſtillicidio. Praeſcripſimus:

℞. Raſur. lign. campech. Unc. dimid.
coq. c. aq. fontan. libra una ad remanent. Unc. octo. Sub finem coct. adde
Pul. rad. Valer. ſylv. Dr. tres.
ſtent in digeſt. per quadr. horae. Colat. adde
Liq. anod. mineral. Hofm. Scrup. duos.
Laud. liquid. Sydenh. Dr. dimid.
Mell. depurat. Unc. unam.

MDS. Sumat omni hora Unciam dimidiam.

Diaeta nutriens, portio nempe quadrans; pro potu vinum cum aqua. Regimen modice calidum.

24ta Maii. Omnia ut heri.

25ta Maii. Diarrhoea omnino ceſſat. Supervenit menſtruatio. Eadem ordinatio.

26ta Maii. Alvus clauſa. Cetera eadem. Ordinatur clyſma emolliens.

27ma Maii. Symptomata et remedia eadem. Menſes ſilent, et vomitu ingeſta eiiciuntur.

28va Maii. Omnia ut heri.

29na Maii. Eadem ſymptomata, et alvus clyſmate mota. Aegra medicamen nauſeat. Ordinavimus itaque:

℞. Elixir. robor. Roberti Whytt. Unc. dimid.
Liq. anod. mineral. Hofm. Dr. unam.

MDS. Sumat quater de die gutt. quadraginta.

Diaeta eadem.

30ma Maii. Per noctem frigus atque calor, quem ſudor excepit multo cum levamine. Adpetitus bonus, reſpiratio libera, pulſus fere fortis et naturalis, adfectiones hyſtericae evanidae, dolor colicus nullus: dolor autem capitis, et alvus obſtructa. Ordinatio eadem.

31ma Maii. Dolores in regione vertebrarum vagi. Noctu quater alvus pultiformis depoſita. Praeter memoratum medicamen porrigebantur mane et veſpere quindecim guttae Laud. liq. Sydenh.

1ma Iunii. Caput parum dolet. Vomitu eiiciuntur ingeſta. Medicamina et Diaeta eadem.

2da Iunii. Dolor capitis evanuit, et bis alvus mota multis cum doloribus. Remedia eadem.

3tia Iunii. Septem alvi motus liquidi; dolor colicus vehemens, magna corporis laſſitudo. Doſis

Elixirii adaugebatur ad guttas quinquaginta. Praeterea mane et vespere habeat guttas viginti Laud. liq. Sydenh.

4ta Iunii. Aegra melius se habet, alvo liquida bis posita. Cetera eadem.

5ta Iunii. Bis vomuit ingesta, alvus aperta. Reliqua eadem.

6ta ut et 7ma Iunii. Alvum cum dolore deponit. Remedia eadem.

8va usque ad 12mam Iunii. Exceptis doloribus imi ventris et regionis lumbalis, praesertim in alvo consistentiae naturalis deponenda, aegra bene se habet, et pulsus magis adtollitur.

13tia Iunii. Aegra tantum in alvo exoneranda dolores circa sphincterem incusat. Praescribitur:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. unam.
coq. c. aq. fontan. Unc. sedecim ad remanent. Unc. octo. Colat. adde
Mell. depurat. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

14ta Iunii. Alvus septies mota. Adduntur medicamini Laud. liq. Sydenh. Dr. una, et Liq. anod. mineral. Hofm. Scrup. duo. MDS. Sumat omni hora cochlear unum.

15ta Iunii. Alvus clausa. Aegra nauseat vomituque medicamina eiicit. Ordinavimus:

℞. Pulv. cort. peruv. Dr. dimid.
Vitriol. mart. factit. Gr. quatuor.
M. f. pulv. det. pro dosi et dent. tal. dos. Nro duodecim.
Sig. Sumat omni trihorio dosin unam.

Insimul ordinatur:

℞. Tinct. thebaic. Dr. unam.
Liq. anod. mineral. Hofm. Dr. duas.
MDS. Habeat ter de die guttas triginta.

16ta usque ad 23tiam Iunii. Diarrhoea sensim ceterisque symptomatibus cessantibus, et concesso lautiore cibo in integrum restauratam aegram e nosocomio dimisimus 24ta Iunii.

Weigand.

Concrementa sabulosa renum.

Anna Regina Reichard, 40 annos nata, corpore robusto plethorico gaudens, 16to aetatis suae anno menstruata, vitae sedentariae per plures iamiam annos addicta, tribus abhinc hebdomadibus queritur de doloribus circa regionem lumbalem dextram, qui versus regionem ossium pubis tendentes mox vehementiores, mox mitiores adparent, immo quandoque prorsus cessant, subitoque augentur aegrota lateri huic noctu praesertim incumbente, seu vino aliisque aromatibus et excitantibus ingestis. Urinae iumentosae, nebulosae et particulis terreis permixtae excretionem concomitatur dolor urens; periodo menstruali absente, urina sanguine commixta ab aegra animadvertitur. Iam antea quidem se hisce vexatam esse doloribus, nunc autem symptomata evasisse graviora, doloresque ad summum emergere fastigium adfirmat. Haec insuper pluribus aegrotae cognatis sunt communia, quibus ex calculo renali mors obtigit. Praeterea abdomen tumidum non dolorificum, digestio laesa, ructibus flatibusque gravata; adpetitus depravatus, oris amaror, lingua muco spisso et flavescente obducta; alvus mox obstructa, mox fluida; respiratio saepius anxia et difficilis; congestio versus partes superiores, rubor et calor faciei manuumque auctus, aurium tinnitus; pulsus celer et inaequalis. Menstruatio per plures annos diversas praebet anomalias ratione

periodi, copiae et durationis. Haud dudum aegra haemorrhoidibus laborare coepit. Accedente his ſymptomatibus diarrhoea, die 27ma Aprilis aegra noſocomium adiit. Veſpere eiusdem diei diarrhoea ceſſavit. Hora 10ma pomeridiana menſtruatio adparet dolorificis ſtipata ſymptomatibus. Ordinatur:

℞. Terr. foliat. tartar.
Extract. tarax.
Tinct. rhei aquoſ. aa. Dr. ſex.
Aq. fontan. Unc. quatuor.
Mell. depurat. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlear unum.

Diaeta plena; pro potu decoctum hordei aut aqua fontana; regimen modice calidum.

28va Aprilis. Somnus mediocris, alvus mollis, menſtruatio adhuc durans. Ex urina praerubra propter ſanguinis menſtrualis effluxum nihil concluditur. Ordinatio eadem.

29na Aprilis. Somnus inquietus, doloribus in regione lumbali dextra vehementibus impeditus, digeſtio laeſa, ructus, adpetitus nullus. Menſtruatio perdurat. Remedia ac Diaeta eadem.

30ma Aprilis. Somnus adhuc inquietus, et doloribus dorſalibus lumbalibusque impeditus. Cetera eadem, ut et remedia.

1ma Maii. Dolores lumbales verſus oſſium pubis regionem tendentes augentur. Aegra febricitat. Menſtruatio hucusque perdurans iuſto diutius vires proſternit, ad quas refocillandas praeſcripſimus:

℞. Spirit. vitriol. Dr. tres.
Syrup. rub. idaei Unc. quatuor.
MDS. Miſceatur cum potu ordinario.

℞. Laud. liq. Sydenh. Dr. duas.
DS. Sumat ter de die guttas octo.

Diaeta eadem.

2da Maii. Continuat menſtruatio, et dolores lumbales circa regionem oſſium pubis haerentes ceſſant. Aegra, febre profligata viribusque corporis adauctis, melius ſe habet. Ordinatio eadem.

3tia Maii. Menſtruatio remittit. Ex urina, ratione ſabuli renalis, ob ſanguinis menſtrui fluxum nihil poteſt concludi. Cetera eadem.

4ta Maii. Menſtruatio ceſſat. Tumeſcentia abdominis aucta, alvus nulla: quapropter clyſma emolliens iniectum.

5ta Maii. Omnia eadem, uti et remedia.

6ta Maii. Menſtruatione omnino ceſſante, cura ipſa ad praeſentis morbi indicationem implendam praeſcribitur:

℞. Sapon. venet.
Aſſ. foetid.
Gum. ammon. aa. Dr. duas.
Extract. taraxac. q. ſ. ut fiant pillul. pond. granorum duorum, conſperg. Pulv. Sem. lycopod. S. Sumat ter de die Nro decem.

℞. Camphor. raſ. Dr. unam.
Ol. amygd. q. ſ. ſolut.
Spirit. ſal. ammon. cauſt. Dr. tres.
Unguent. alth. Unc. unam et dimid.
MDS. ad frictionem abdominis.

Inter uſum horum remediorum medicamen Falconeri in adfectionibus calculoſis ac ſabuloſis commendatum ordinatur ad Unc. duas.

7ma Maii. Alvus fluida, acris et pituitoſa; ſomnus inquietus. Cetera et medicamina eadem.

8va Maii. Dolores circa regionem lumbalem et oſſium pubis vehementiſſimi; rubor calorque faciei et manuum auctus; urinae excretionis niſum dolores vehementes urentesque comitantur. Sedimentum eſt nubilum, particulis terreis flaveſcentibus

quaſi cryſtalliſatis mixtum. Alvus obſtructa, ſomnus inquietus. Particulae terreae diagnoſin ſabuli in renibus haerentis confirmant. Medicamina ac Diaeta eadem.

9na Maii. Dolores dorſales et lumbales imminuti; excretio urinae cum dolore urente haud coniungitur; urina nebuloſa particulis terreis mixta; alvus obſtructa. Adplicetur clyſma. Ordinatio eadem.

10ma Maii. Alvus aperta, abdomen molle, dolores lumbales aucti. Urina nubeculam turbidam ac ſabuloſam materiem, ſed minore quantitate continet. Cetera eadem.

11ma Maii. Aegra melius ſe habet. Lingua muco flaveſcente obtecta; abdomen mollius, adpetitus redux; urina turbida cum ſedimento mucoſo: dolores lumbales imminuti perdurant. Ordinatio eadem.

12ma et 13tia Maii. Omnia eadem, ut et remedia.

14ta Maii. Dolores lumbales nocte vehementiſſimi tendunt regionem oſſium pubis verſus; ſomnus nullus; urinae excretionem comitatur dolor urens, urina nubeculam particulasque terreas iterum ſiſtit.

15ta Maii. Dolores imminuti, ſomnus quietus. Urina nubeculam valde mucoſam et particulas terreas quantitate minores continet. Iam remedium Falconeri paratum ordinatur ad uncias quatuor. Praeſcribitur porro:

℞. Extract. amar. Dr. tres.
Aq. font. Unc. quatuor.
— menth. piperit.
Syrup. cort. aurant. aa. Unc. unam.
MDS. Quater de die cochlear unum.

16ta Maii. Dolores imminuti: urina eadem, ut et remedia.

17ma Maii. Dolores nocte praesertim vehementissimi; urina magis nebulosa et turbida, quam praeterlapsis diebus inveniebatur. Remedium Falconeri ad uncias sex mane propinatur.

18va Maii. Dolor pungens in regione epigrastrica, oris amarities; lingua muco albescente obducta; dolores in regione lumbali dextra ad sinistram tendunt; urina nubeculam parvam, nullas vero particulas terreas continet. Remedia eadem, ut et Diaeta.

19na, 20ma et 21ma Maii. Omnia eadem.

22da Maii. Fluxus menstruus revertitur. Medicamenta seponuntur.

23tia, 24ta et 25ta Maii. Menstruatione durante magnam sanguinis copiam aegra amittit.

26ta et 27ma Maii. Menstruatione cessante, medicamen Falconeri continuatur ad octo uncias quovis mane, et mixtura ultima. Diaeta eadem; pro potu vinum aqua dilutum.

28va Maii. Dolores lumbales capitisque augentur; adpetitus nullus et urina nulla. Ordinatio eadem.

29na usque ad 31mam Maii. Urina clara et flavescens particulas quasdam terreas continet. Praeterea nulla mutatio maioris momenti. Medicamina eadem.

1ma et 2da Iunii. Adpetitus bonus, abdomen molle. Cetera in universum eadem.

3tia usque ad 6tam Iunii. Dolores lumbales minores, adpetitus paululum diminutus, urina fere naturalis, sedimentum nullum. Remedium Falconeri continuatur.

10ma usque ad 13tiam Iunii. Aegra optime se habet; dolores lumbales nulli, urina fere naturalis, adpetitus bonus, abdomen molle. Ordinatio eadem.

14ta et 15ta Iunii. Dolores lumbales et circa ossa pubis leves. Urina nubeculam continet spissam.

Evanidis sensim sabulosi concrementi indiciis ceterisque incommodis, die 20ma Iunii e nosocomio dimissa est.

Elias Siebold.

Retentio urinae.

Ancilla quaedam, 30 annos nata, temperamento sanguineo, habitu corporis robusto ac magno praedita, vegeta satis, nunquam morbis detenta; in malum mox describendum incidit. Initia fluxus menstrui 24to aetatis suae anno experta est, qui ad provectiorem usque aetatem valde modicus ac fere semper irregularis fuit.

Duobus circiter abhinc mensibus a famulis duobus robustis rusticis in eius animo libidinis incenditur ignicula. Mox veneris exagitata stimulis in eorum amplexus ruit, atque ultra duorum mensium spatium coitus frequentissimos celebrat, ita quidem, ut amator uterque per vices, noctis tempore, bis vel ter gratum hoc officium ei administrandum susceperit; quem in finem illa noctu supra tectum aedis scandens suos amatores tabulati inferioris vicinarum aedium stabulum inhabitantes inviserat. Ast immodico, sat gravi ac frequenti veneris hoc exercitio, ut facile coniicies, partes verendae ac vicinae initio grata titillatione irritatae magis, mox nimio stimulo ac saepius repetito laxatae sunt atque debilitatae. Hinc incidit misera in morbum, quem urinae retentionem adpellamus, ex debilitate locali ortum, quum adessent omnia perfectae sanitatis criteria, aliaeque potentiae nocentes deficerent. Eam urinae retentionem per duos dies experta est,

graviterque tulit. Adauctis demum molestiis et abdominis cruciatibus, opem Chirurgi imploravit, qui ventrem eius inter dolores inflatum et durum ac vesicam urinariam expansam invenit, ideoque catheteris instrumento urinas sex librarum ponderis eduxit, quo subito detumuit venter. Ast elapso brevi temporis intervallo revertebantur eadem incommoda, vesicae ac ventris tumor, nonnisi catheterismo removenda, quam operationem per quatuor vices sustinuit aegra, et fere semper urinae quinque vel sex librae fuerunt eductae. Morbo tamen ea methodo, tanquam cura palliativa, non omnino sufflaminato, quum urinae retentio et post institutam operationem gravior per vices reverteretur, die 20ma Iunii nosocomium petiit, ac ob morbum et paupertatem recepta est.

Examine instituto invenimus, aegram per quatuor menses menstruale flumen non esse expertam, omnes eius functiones in statu sano versari, neque febrem neque pulsum a naturali aberrantem adesse. Porro abdomen versus pubis regionem aequaliter tumidum, inflatum, durum, ab adtactu dolens. Quum insuper per longum temporis spatium ne guttula quidem urinae per urethram emissa sit, et adhuc retineatur; conclusimus, vesicam urinae copia esse repletam atque extensam, indeque ventris illum tumorem externa exploratione percipiendum. Partes externae verendae tumidae erant atque laxae. Internarum exploratio uti externarum nulla praebuit graviditatis indicia. Adplicabatur catheter haud difficulter immittendus, quo urinae tres fere mensuras eduximus. Ea vero emissa statim venter detumuit, mollitiem sub adtactu non dolentem retulit, atque aegra ipsa de perfecta sua sanitate gavisa est. Nihilo tamen minus urinae retentio per

tres vices revertebatur, iterum iterumque catheteris immiſſione ſublata.

Quum igitur praeter curam hanc palliativam curatoria ſeu radicalis inſtituenda eſſet, ad alia ſimul confugimus remedia. Praecipue autem abſentibus morbi univerſalis indiciis, praegreſſis potentiis nocentibus, indirectam ac localem debilitatem inducentibus, morbum localem a debilitate ortum indicavimus, eumque et remediis localibus atque incitantibus, conceſſo lautiore cibo ac vino aqua diluto profligare conati ſumus. Itaque corticem peruvianum, herbam meliſſae, roris marini, marubii albi, vino rubro decocta, ut calida fomenta, abdomini, regioni pubis et verendis imponenda, inter abdominis frictiones cum oleo Bezoardico Wedelii, naphtha vitrioli, ac laudano liquido Sydenhami adplicari iuſſimus. Quibus per triduum continuatis ſenſim coepit aegra per guttas emittere urinam, laxae ac tumidae verendae partes ſolitum adquirebant tenorem, detumebant, uti et venter. Reſtituto denique omnino urinae effluxu, et evanidis omnibus moleſtiis, aegra ceterum ſana ad finem Iunii noſocomium dereliquit.

Juch.

IULIUS.

Inconſtans ac varia tempeſtatis per hunc menſem viciſſitudo. Mox ſerena grataque, ac iuſto etiam magis calida, mox nubila, ventoſa, imbribus lapideis fulminibusque mixta fuit. A 1ma menſis die ad 10mam erat amoena ac calida, 2da tamen et 9na ventoſior; 6ta vero et 10ma veſpere tonitrua, coelum obſcurum ac pluviam habuit. 11ma ventoſa frigidaque. A 12ma ad 22dam paſſim calida tempeſtas, tonitribus ac pluviis iuncta; 16ta tamen mane frigidior, ceterum calida, coelum nubibus tectum, atque 22da veſpere pluviam habuit. 17ma matutinos tulit imbres. A 23tia mane frigidiore ad 28vam mane pluvioſam et ventoſam, ceterum tamen calidam, coelum ſemper nubibus fuit obductum; immo 24ta veſpere tonitrua ſonabant, ac imber lapideus cadebat. Dies denique 29na mane frigidior nebuloſaque, et verſus meridiem calida, 30ma ut et 31ma amoena admodum et calida fuit.

Hoc menſe febres intermittentes adhuc fuere frequentes, quae recenſitis iam ſymptomatibus decurrebant, et, omnibus licet gaſtricis ſic dictis phaenomenis ſtipatae fuerint, nunquam tamen emeticis aut evacuantibus tractabantur, ſed methodo iam ante deſcripta facile diſſipabantur. Immo etiam, qui, ante quam noſodochium noſtrum adierint, multis evacuantibus defatigati fuerant, ſummam in debilitatem incidere. Febris iuſto diutius duravit. Acceſſerunt habitus cachecticus, tumor pedum et intumeſcentiae hydropicae, aut ipſe aſcites, uti ex Hiſtoria Ima mox enarranda elucet.

Mala ergo medendi methodus, omnes febres intermittentes, ut profligentur, emetocatharſi tractare, et tandem vires omnino proſtratas excitanti-

bus et roborantibus erigere. Quo adſerto minime tamen inficias eo, in nonnullis et emetocatharſin iuſto moderamine exhibitam prodeſſe, in iis nempe febribus,quae ab adfectione locali primarum viarum originem ſuam trahunt. Haec autem adfectio nullo modo ex ſymptomatibus ſeu ſignis ſordium gaſtricarum, ſed ex praegreſſis, e. g. ex praecedente indigeſtione diiudicanda eſt. Symptomata enim ſic dicta gaſtrica in omni fere febre cum imminuta incitatione ſeſe exſerunt, et imminutae incitationis, non ſordium circa praecordia ſtagnantium ſigna ſunt: quare non omnino formandae morbi diagnoſi ſufficiunt.

China opio iuncta prae omnibus excellebat remediis; interim et binas obſervavimus hoc menſe febres intermittentes ſequenti remedio profligatas:

℞. Pulv. rad. gent. Scrup. duos.
— — tormentill. Scrup. unum.
M.f.pulv. pro doſi, dent.tal.doſ.Nro duodecim.
S. Omni bihorio doſis una.

Eadem methodo excitandi ac roborandi omnes omnino ſanavi febres intermittentes, quin ullus ſubſequeretur morbus ſecundarius, qualem quidam ad neglectum evacuantium et praecocem chinae uſum obſervaſſe ſe iactitant, viſcerum imi ventris obſtructiones, hydropem, aſciten, leucophlegmatiam, tabem inde oriri ſevere adfirmantes. Quae mala omnia, ſi rite fuerint obſervata, nimio debilitantium potius, quam excitantium uſui ſunt tribuenda.

Occurrere immo febres nervoſae, aſt leviſſimae indolis, quarum nonnullas menſe ſequente adnectam hiſtorias. Paucis et leniter excitantibus remediis, infuſo Valerianae cum liquore Hofmanni, vino ſat magna aquae copia diluto, intra breviſſimum

temporis ſpatium cedebant, et vires, quae victa febre per plures adhuc dies proſtratae fuerunt, roborantibus facile refocillabantur. Communia ſymptomata erant lingua glabra, glutine obtecta, ſubinde praerubra ac ſicca, guſtus vapidus, in nonnullis amaricans; ſitis, anorexia, nauſea, preſſio praecordiorum, vomituritio, immo vomitus glutinis aut merae aquae; ardor ventriculi, dolor abdominis et hypochondriorum; abdomen plerisque modice intumuit,doluitque contrectatum; alvus clauſa, in plurimis vero diarrhoea aquoſa fuit. Capitis plumbea gravedo, eius levandi impotentia; frontis dolor gravativus; vertigo; aurium ſuſurrus; oculorum obnubilatio, per noctem inſomnia, et, ſi dormirent, facilis evigilatio cum terrore; mitia deliria; ſenſus confuſi et ſtupidi.

His acceſſit thoracis dolor,in nonnullis et tuſſicula ſicca, artuum dolores quaſi rheumatici et lancinantes, dedolatio ac virium proſtratio, ingens laſſitudo; cutis in plurimis ſicca et arida, ſub finem morbi humida, ac ſudores, in aliis ſudatiunculae vagae, calor urens, in aliis rubor faciei, in aliis pallor. Incepit morbus levi horripilatione, quam aeſtus ſequebatur. Pulſus parvus, debilis et frequens erat; febriles motus adſidui, nunc paulo elatiores, nullam temporis legem obſervantes; praeſertim autem verſus veſpertinum tempus obſervata eſt exacerbatio. Eiusmodi leves adfectiones, ut dixi, leniter excitantibus diſſipavimus. Inſtantem diarrhoeam inhibuimus inſimul tinctura thebaica, aut pulvere Doweri. Urgente dolore abdominis linimentum volatile camphoratum opio iunctum frictione adplicavimus abdomini; alvus obſtructa clyſmate iniecto e decocto florum chamomillae quotidie ſollicitata fuit. Capite occupato

sinapismos seu vesicatoria, ut rubefacientia, ad suras omni vespere adplicavimus. Atque his remediis tam interne quam externe adhibitis, ut universaliter excitantibus, non ut symptomata curantibus, intra brevissimum temporis spatium profligavimus huius generis febres.

Inter varios huius mensis morbos chronicos adtentione dignissimus fuit Polypus cordis mox describendus, cui, si licet, aliam subiungam historiam morbi cordis ex osse, quod in ventriculo haesit, morbi rarissimi, cuius quidem observandi non in xenodochio, sed alio tempore ac loco occasio data fuit.

Ascites.

Dorothea Kaltwasser, famula rustica, 30 annos nata, corpore sat robusto, nunquam antehac morbis vexata, incidit in febrem intermittentem, qua iam ante receptionis diem per quinque hebdomadas laboraverat, variis usa remediis, quae nihil profuerunt. Ad diversa demum communia febris intermittentis phaenomena accessere artuum dedolatio, pallor faciei, anorexia, anxietas, cordis palpitatio, respiratio difficilis, dolores lumborum et capitis, vertigo, obstructio mensium, qui ante febrem rite fluxerant. Quibus malis cruciata Chirurgum adiit, qui, morbi statum ac indolem nullo modo perponderans, venae sectionem, ut aegra ait, sat largam instituit, immo repetiit symptomatibus auctis, atque febre nihilominus persistente omnibusque illis incommodis exasperatis purgantia quoque propinavit. Ast in peius omnia ruerunt, atque ita auxiliis quasi destituta ad nosodochium confugit aegra, et die 19na Maii recepta est. Praeter recensita phaenomena reperimus oedematosum

pedum abdominisque tumorem, atque febriles insultus altera quavis die versus vesperum, ast valde leves, rediere. Pulsus ceterum semper debilis, nox insomnis, cutis arida, alvi et urinae excretio naturalis, adpetitus bonus, summus virium motricium languor. Ad diagnosin tutius formandam, quum venter, ut in gravidis, extensus et durus sine notabili aquarum contentarum fluctuatione videretur, et internam uteri, vaginae verendorumque explorationem instituimus, qua edocti, nullum adesse graviditatis indicium, auctoque post aliquot dies ventris tumore atque accedente aquarum fluctuatione, nulli dubitavimus de ascite orto a febre incongrue debilitantibus tractata.

Praesente igitur magna corporis debilitate, atque febris insultibus, licet levibus, nondum silentibus, porreximus:

℞. Decoct. cort. peruv. saturatiss. Unc. octo.
admisce
Liq. anod. min. Hofm. Dr. unam.

DS. Capiat omni bihorio vasculum dimidium. Porro vinum aqua dilutum, ac diaetam nutrientem, i. e. portionem primam praescripsimus. Quorum remediorum usu per quatuordecim dies continuato febris cessavit, et vires corporis omnesque functiones restauratae sunt. Rediit somnus, et adpetitus, qui semper bonus fuit, auctus est, omnesque capitis et pectoris adfectiones evanuerunt. Pulsus fortis et tardus fuit. Ast venter non detumuit, sed increvit magis, ac facta exploratione externa maior evasit fluctuatio. Quare paracenthesin abdominis instituere animus fuit. Verum quum ventris tumor nec amplus nec durus satis videretur, neque venter omissis per aliquot dies remediis roborantibus incresceret, et integumenta abdominis communia

ob aquarum contentarum copiam minorem eam haud nacta eſſent extenſionem, quam obſervamus in maiore gradu aſcitis, ubi dein operatio ſine moleſtia operantis maximoque aegrotantis emolumento inſtitui poteſt; abſtinere ab operatione ſatius duximus, et adhibere reliqua remedia incitantia, quorum in hydrope virtutes egregiae laudantur.

Quapropter circa medium menſis Iunii remediis roborantibus ſupra allatis addidimus ſquillam pulveri calami aromatici iunctam, et quidem exhibuimus quater per diem grana duo ſquillae granaque decem calami aromatici. Quorum remediorum uſum quotidie ſecutae ſunt tres vel quatuor alvi aquoſae, multo cum levamine aegrae. Cutis ante ſemper arida iam levem madorem oſtendit, atque nonnullis diebus per noctem et ſudor intravit, urinae flavae copia non aucta. Sub finem Iunii tandem venter detumeſcere coepit, et aegra alacris vires refocillatas ſenſit. Tumore in dies imminuto viribusque adauctis, initio menſis Iulii auximus doſin ſquillae ad grana tria, cui praeterea ſequens electuarium iunximus:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. dimidiam.
Extract. amari aq. font. q. ſ. ſoluti Dr. duas.
Flor. ſal. ammoniac. mart. Dr. tres.
Mell. optim. Unc. quatuor.

MDS. Omni bihorio duo cochlearia parva.

Continuavit aegra bis vel ter de die alvum deponenere aquoſam: tumor abdominis ſenſim ſenſimque disparuit, neque ulla fluctuatio amplius percepta fuit. Crura ac pedes, quae hoc menſe oedemate adhuc tumebant, naturalem induerunt formam, et reliquae functiones in ſtatu ſano fuere. Medio Iulio, quum pergerent dicta ſanitatis indicia, ſepoſitis omnibus medicaminibus, praeter diaetam nu-

trientem et potum ordinarium e vino aqua diluto, porreximus aegrae bis per diem, ſcilicet ante prandium et coenam, dimidium vaſculum vini amari medicati, usque dum die 30ma Iulii omnino ſanata e noſocomio dimiſſa eſt.

Juch.

Polypi.

Num dentur veri polypi, nec ne ſint potius ſpurii, i. e. conerementa ex ſanguinis cruore et muco parata, brevi ante obitus tempus aut poſt mortem generata, Medicos inter et Anatomicos disputatur. Lieutaud, Morgagni, Paſta, Baillie, qui multa cadavera diſſecuere, nunquam veros ſe polypos inveniſſe adfirmant. Tulpius vero, Riolanus, Fr. Hoffmannus aliique, et nuperrime Wichmannus *) demonſtravere polyporum verorum exiſtentiam non tantum morborum obſervatione, ſed et extiſpiciis cadaverum. Concrementa vera polypoſa quum pertineant ad morbos rariſſimos, non mireris, ea praeclaris Anatomicis non obveniſſe, qui male inde polypos ad mera phantaſmata pertinere iudicarunt. Et multa diſſecta ſunt cadavera, in quibus ſecans, quum morbum mortisque cauſſam ignoraret, vel neglexit forſan pectoris obductionem, vel eius ſumma licet obſervantia ac dexteritate factae talem reddidit relationem, qua in diiudicanda vera morbi natura parum adiuvamur.

Praeclare Wichmannus **) polypi veri exiſtentiam ex morbi obſervatione ac cadaveris ſec-

*) Wichmann's Ideen zur Diagnoſtik. II. Theil.
**) Loco citato.

tione ostendit, cuius veritatem alio exemplo demonstrare suscipiam. Polypi enim, quos ego vidi, trabibus ventriculi cordis carneis fibrillis suis tendinosis tam firme impliciti haeserunt, tantaque duritie ac firmitate excelluerunt, ut dissolvi digitis nequirent, quum spurii nulli parti adnati ac liberi undique haerere solent. Quare si morbi historiam simul comparaveris, polypum brevissimo tempore generari, minime concedes. Ceterum et veros polypos nunquam morbum primarium, aut morbum per se constituere, sed semper effectus alius morbi esse convictus sum, meamque sententiam ipsa historia confirmat. Notare praeterea liceat, pulsum, quotiescunque per diem in aegra exploratus fuerit, nunquam fuisse aut irregularem aut intermittentem, neque in morbi decursu neque in fine. Num vero pulsus hic signum morbi sit characteristicum? Fantoni *) monitum est: „Iterum dico: a vitiis „pulsus ne temere de polypis iudicium feramus, „cavendum. Multos sane decepit. Sectio cadave„rum cautiores efficiat. Polypos enim reperias, „et aequalis et constans fuit pulsus: polypi de„sunt, et omne vitium in pulsu fuit deprehensum." Cheston **) et Albrecht ***) in cordis polypo pulsum nec irregularem nec intermittentem animadverterunt; et pulsus constantia facile intelligitur, quum semper sanguinis aliqua pars, seu columna exigua per arterias ad latera talis concrementi possit extricari, in eo nempe casu, ubi arteriarum orificia non omnino obturata fuerint. His vero penitus obturatis, certe subitanea mors arteriarum im-

*) In Schol. ad Patris Obs. medic. anat. 27. Cf. Morgagni de sedibus et causis morborum. T. I. L. 2. pag. 246.
**) Pathologische Untersuchung. 1780.
***) Nov. Acta N. curios. T. I. pag. 6.

pulſui finem imponet. In noſtra puella ob deficientem functionum omnium vigorem pulſus ſemper parvus, debilis ac frequens fuit: hinc tanta differentia pulſus non eſſe potuit, ut intermittens adpareret; vis cordis exigua fuit; arteriae levi impulſui ob laxitatem facile ceſſerunt, et, licet polypi iam adeſſent, tenuis columna ſanguinis ſuffecit circulationi ſuſtentandae. Increſcente autem debilitate, ex qua praecipue originem traxerunt, mole polypi tandemque ad eam amplitudinem creverunt, ut perfecte cordis et arteriarum orificia clauderent. Hinc ſubito illa graviora ſymptomata ac mors; hinc pulſus plenus et fortis; quum nempe vaſa laxa, ſanguine impleta, ob cordis obſtacula evacuari non potuerint, et arteriae fibris muſcularibus praeditae actiones ſuas, corde ſimul a tergo urgente, in ſanguinem continuo exercuerint, usque dum cum vita omnis incitabilitas ſufflaminata fuerit.

Polypus cordis.

Magdalena Neudoerfer, Herbipolenſis, 20 annos nata, iam ab incunabulis fauſta valetudine raro aut nunquam fruebatur, quin tamen morbo acuto ſe unquam laboraſſe meminerit. Ex imbecilli corporis habitu ſumma exoriebatur in omnes morbos chronicos opportunitas. Adpropinquante primae menſtruationis tempore varia illius molimina, ſed fruſtra ſe prodiderunt. Anno aetatis ſuae 16to quum puellam dolores ad regionem pubis lumborumque adfligerent, ſuadentibus parentibus, fluxum menſtruum remediis, (quantum coniecturare licet, emenagogis) promovere ſtuduit, vaporumque balnea genitalibus adhibuit. Poſt varia demum remedia a variis Medicis praeſcripta et ſine

omni fructu ſumta, menſtruatio aliquoties tandem bene proceſſit. Ex illo vero tempore neque debita quantitate, neque conveniente qualitate provenit; ſanguis enim, qui effluxit, loturae carnis ſimilis fuit, et omnis illa menſtruatio non opportuno tempore, ſed intempeſtive et ſine legibus adparuit, et abſoluta eſt.

Anno priori, quum tempore matutino, ob caloris aeſtivi vehementiam, inſignem aquae frigidae copiam fluentibus tum menſtruis ingurgitaſſet, haec ſubito evanuere, ex illo tempore non amplius reverſa. Huic malo et univerſae debilitati ut mederetur, in noſocomium menſe Decembri anni proxime elapſi ſe contulit, ubi iam aegrotantis amiciſſimi anteceſſoris et collegae Chriſtophori Siebold vices in curandis aegris geſſi. Quod excitans et roborans Medicus unquam praeſcripſit Chloroticis, nos quoque per duos menſes adhibuimus. Debilitas univerſalis, ſub diaeta lautiore, quotidie imminuta, prior animi alacritas reverſa, fluxus tamen menſtruus non redux fuit. Suaſimus itaque 24ta Ianuarii 1797, ut noſocomium deſereret, ad ſuos in urbem rediret, et ſub diaeta lautiore maioreque corporis exercitio fluxum hunc periodicum exſpectaret.

Ex hoc tempore Medici opem in urbe quaeſivit, qui praeter decoctum chinae Laud. liq. Sydenh. ſed ſine fructu porrexit. Oritur demum aſthma ſiccum et diarrhoea fere habitualis, eaque fuit inteſtinorum debilitas, ut cibos manducatos ſaepius poſt breve tempus non digeſtos eiiceret. Diarrhoeae huic ante dies 21 ſeſe comitem adiunxit vomitus, quo multum corruptae et bilioſae materiei, ut refert, emiſit. Reſpirationis difficultas quotidie increſcit, magis tamen in inceſſu et adſcenſu per ſca-

las. In refpirando quandoque percipitur fibilus. Palpitatio cordis ad levem motum aucta cum ingratiffima fenfatione. Anxietas, vera pectoris conftrictio ac oppreffio miferam faepiffime adflixere, eamque cruciavit continuus in regione cartilaginis enfiformis vehemens dolor preffiorius, fub adtactu auctus. Decubitus fupinus difficilis; tuffis nulla; totum corpus pallidum et leucophlegmaticum, omniumque illius functionum torpor. Calor nativus imminutus, pedes tumidi, oculi quafi vitrei. Cibos aegra non adpetit; emittit ructus et flatus. Animi deiectio et triftitia, fomnus interruptus, pulfus exilis, tardus et aequalis, diarrhoea aquofa, inter fomnia faepiffime ronchi ftertoresque. Quibus fymptomatibus increfcentibus recipitur denuo die 7ma Iulii 1798 in nofocomium.

Die 8va. Omnibus bene perpenfis, debilitati univerfali, a qua afthma, diarrhoeam et chlorofin derivavimus, roborantibus et nutrientibus occurrere conftituimus. Praefcripta itaque fuit mixtura fequens:

℞. Cort. peruv. optim. Unc. unam.
coq. cum aquae font. q. f.
Colatur. Unc. feptem adde
Laud. liq. Sydenh. Scrup. duos.
Syrup. cort. aurant. Unc. unam.
MDS. Capiat omni bihorio duo cochlearia.

Diaeta nutriens et roborans cum vino conceffa fuit.

Sumfit per diem duas tertias praefcripti medicaminis, et ob temporis amoenitatem fub vefperum in horto nofocomii ambulavit.

Diei 9nae hora 6ta matutina, poftquam per totam noctem ronchos edidiffet, e fomno excitatur. Tanta oritur fubito refpirationis difficultas, ut praefentibus ftatim fuffocari videretur. Refpiratio non

tantum difficilis, ſed et ſtertoroſa fuit. Iacet incurvato corpore capiteque ad pectus inclinato. Accedit mox torpor omnium functionum. Pulſus frequentiſſimus, plenus et fortis intra minutum primum 130ſies micat. Tegitur ſudore frigido, neque vocem amplius edere valet. Ex his omnibus triſtem et inſtantem morbi exitum praeſagimus, in vitio organico cordis, praecipue in polypis ſubitaneae huius mutationis originem quaerentes. Ordinavimus pulveres ex moſcho et camphora, clyſma excitans et veſicatorium pectori adplicandum.

Deglutitione vero mox impedita, clyſma ſtatim aegra eiecit, et 12ma hora ex vita deceſſit.

Sectio cadaveris.

In externa corporis ſuperficie plane nihil notatu dignum invenimus. Aperta vero thoracis cavitate ſequentia occurrebant:

1. Pulmo dexter ad tres pleurae parietes, antrorſum, ad latus et retrorſum tenaciter accretus fuit; ſiniſter vero in variis tantummodo locis per longa ac membranacea filamenta ei pleurae parti, quae coſtas tegit, fuit adnexus.
2. In cavo pericardii unciae fere duae ſeroſi humoris continebantur.
3. In atrio dextro cordis cernebatur polypus, uti in ventriculo cordis dextro; ille latior ac longior, hic vero minor. Uterque denſis, albis, tendinoſis fere ac elaſticis filamentis inter funiculos valvulae atrii progredientibus tenaciter concretus fuit. Bini vero variis iterum brevioribus pedunculis ac ligamentis eiusdem ſtructurae parieti ventriculi ac atrii inter trabeculas carneas valde tenaciter infixi adhaeſerunt ita, ut vi quadam ab eo diſſolvi debuerint. Polypus ventriculi dextri per oſtium arterioſum usque in truncum arteriae pulmonalis

processit, eo tantum discrimine, ut tenuior in arteria, quam in ventriculo ipso adpareret.

4. In atrio sinistro reperimus sanguinis coagulum ac polypum magni voluminis, maioris densitatis colorisque albi, qui (ut in atrio et ventriculo dextro) cum alio ventriculi sinistri eiusdem structurae arcte concretus fuit. Bini iterum multis filamentis elasticis parieti ventriculi ac auriculae sinistrae tenaciter adnexi fuerunt ita, ut difficulter abradi potuerint. Brevissima autem polypi pars in sinistro ventriculo haesit, maxima pars in ostio arterioso et in aorta adscendente. Polypus hic tantae magnitudinis fuit,ut reliquos mole sua ac magnitudine superaret, et aortam adscendentem omnino fere repleret. Maximum volumen habuit in ostio arterioso, quod omnino obturaverat; in ipsa vero aorta tenuior fuit. In universum polyposa ista concrementa densa, dura, alba, elastica, tendinosa, vere organisata fuere, atque haud facile dilaceranda.

5. Pulmo dexter album colorem retulit, sanguine vacuus facta incisione insignem serosi humoris copiam ex substantia cellulosa reddidit.

6. Pulmo sinister minus albus maiorique sanguinis copia repletus.

In cavitate abdominis

7. Omentum variis in locis peritonaeo äccretum fuit. Occurrebant plures glandulae mesenterii obstructae et hydatides ad alas vespertilionum.

8. Hepatis superficies scabra et inaequalis; substantiae ipsius conditio sana. Vesicula fellea bile valdopere tumuit.

9. Uteri corpus tam exile, ut versatissimus in rebus anatomicis Prosector D. Hesselbach simile in virgine adulta se nunquam observasse testaretur.

Epicrisis.

Morbi enarrati decurſum et ſubitum inopinatumque eius exitum diiudicaturi, recurramus neceſſe eſt ad omnes illas potentias nocentes, quae a prima iuventute vim ſuam in defunctam exſeruerunt. Compages totius corporis, quam natura tribuit, gracilis et infirma illam ad omne morborum genus a debilitate univerſali originem ducentium pronam reddidit. Accuratius examinata nullius quidem morbi praegreſſi, minime vero acuti, mentionem fecit. Aſt oblita forſan erat omnium, quae iuvenili aetate in corpore ſuo acciderant. Illam enim pleuritide ſeu pleuroperipneumonia laboraſſe, ex concretionibus concludere licet, quibus pulmonum ſuperficies pleurae arctiſſime connexa fuit.

Debilitas igitur univerſalis primaria omnium, quae ſeſe nobis obtulerunt, ſymptomatum cauſa fuit. Hinc irrita menſtruationis molimina, fluxusque menſtruus omnino impeditus. Vires etiam imminuit intempeſtivus emenagogorum uſus, quibus fluxum perperam promovere ſtuduit, et invitum quaſi extorſit. Ex illo debilitatis ſtatu porro facile explicaveris, cur ſubito evanuerit menſtruatio, neque redierit. Conſideranti dein inſolitam uteri minimi conditionem, patebit quoque ratio ceterorum, quae aegram cruciarunt, malorum. Ex torpore virium ad cibos concoquendos neceſſariarum oriebatur defectus nutritionis atque diarrhoea fere habitualis. Circulationis vero lentor ut ſummae debilitatis effectus, ita cum pleura pulmonibus accreta, qua pulmones in extenſione ſua plane impediebantur, aſthmatis et polyporum cordis cauſa conſiderari poteſt. Valido enim ſanguinis circulo eiusmodi concretiones oriri, concipi nequit. Noſtros polypos fuiſſe veros, ex ſtructura eorum patuit, quippe

quae ab illa, quam ſanguinis coagula poſt mortem coacervata referunt, longiſſime differebat. Concrementa fuerunt dura, elaſtica, tendinoſa quaſi, aqua non diſſolubilia, neque, niſi vi maxima adhibita, illorum pedunculi a trabibus carneis avelli potuerunt *).

Polyporum praeſentiam coniectare tantum nobis licuit, quum pulſus nunquam intermiſerit, ſed potius parvus, debilis et frequens in decurſu morbi, ante mortem vero plenus, fortis ac frequentiſſimus fuerit ita, ut intra minutum primum 130ſies micaverit. Ingruente autem praecipiti valetudinis mutatione vitam ipſam in ſummum periculum trahente iam maxima cum veriſimilitudine concludere potuimus, adeſſe organicum cordis vitium et latentem forſan polypum, ſententiamque noſtram extra omne dubium poſuit ſectio anatomica, accuratiſſime coram omnibus, qui hic Medicinae operam navarunt, inſtituta.

Cur vero nunquam pulſum intermittentem, durum contractumque tetigerimus, ex fallacitate pulſus in diagnoſi et prognoſi plurimorum morborum, et praeſertim in illis, qui polypis laborant, explicari poteſt **). Liceat id autem ex vaſorum quoque laxitate, quae ad parietes ſanguini advenienti et vi non magna ex cordis ventriculis expulſo facile cedebant, et ex eo derivare, quod polypi modo ſenſim ſenſimque ad tantam molem increverint, et tandem ſubito vaſorum arterioſorum oſtia cordisque atria occluſerint adeo, ut ſublata circulatione inopinata mors vitae miſerrimae finem imponeret.

*) Wichmann l. c. P. II. pag. 168 -- 169. ubi caſum plane ſimilem diiudicat.

**) Loco cit. pag. 180 Part. II. ubi pulſus diverſitatem in ſimili caſu obſervatam leges.

Et quid denique, si diagnosis nostra quoad polypos certior fuisset? Medicamina ignoramus, quae vincendo huic malo paria essent, paucissimisque horis, quibus aegra curae nostrae fuit commissa, vim suam valide exserere potuissent.

C. Schick.

Ossis in corde reperti Historia.

Ex ea, quam enarrabo, morbi historia elucebit, aegram vitio organico seu cordis seu partium vicinarum fuisse adfectam. Vitium topicum adesse, me quidem per totum morbi decursum non latuit: ast quale et quantum sit, neque ex praegressis causis, neque ex phaenomenis, tam antecedentibus quam praesentibus, scire licuit. Res semper ardua est, in eiusmodi morbis rite formare diagnosin, quum phaenomena malum concomitantia eadem sint, quae in aliis cordis vitiis, in polypo, valvularum cordis ossificatione, aortae aneurismate aliisque observantur, scilicet palpitatio cordis, respiratio difficilis, anhelosa et laboriosa, anxietas, asthma, intra sinistrum thoracem ardoris sensus, dolores fugitivi, inter scapulas lancinantes; pectoris oppressio levi quocunque motu aucta, immo animi deliquia, pulsus intermittentes, celeres et inaequales; situs in lecto supinus; frequentior per noctem cum anxietate evigilatio, insomnia et similia.

Ut in indaganda plurimorum morborum natura semiotica fallit, ita et huius morbi indoles non patescit ex symptomatibus. In subsidium ergo vocanda sunt alia, quae maiorem certitudinem adferant, valetudinis nempe status potentiaeque nocivae morbum antecedentes, quae una cum symptomatibus, praecipue in locali corporis adfectione diagnosin

ſirmare iuvant. Ut plurimum robuſti, ſanguineo-cholerici, homines obeſi, gulae indulgentes, huic morbo ſunt obnoxii; praeſertim ſi cibis lautis, aromaticis, carneis aut etiam crudis, potu praeterea vini abutuntur, atque huius generis victum multa voracitate ingurgitant. Qui, ſi ad provectiores aetatis annos pervenerint, variis morbis calculoſae adfectionis laborant, urinam reddunt turbidam cum mucoſo ac ſabuloſo ſedimento, arenam ſaepius non ſine doloribus ardentibus inter mingendum per urethram excernunt, immo calculoſa concrementa eiiciunt. Saepius et adfliguntur nephritide, quin immo veſicae urinariae calculo cruciantur. Teſte Malacarne *) Tommaſo Maria Ghilini, romanae curiae purpuratus, 70mo aetatis ſuae anno ſubitanea morte inter varias pectoris ſupra dictas morboſas adfectiones corripitur. Per vitae ſuae curriculum ſaepius adficiebatur iſchuria, doloribus nephriticis, et urinam ſabuloſam continuo deponebat: immo vero lithotomiam bis per vitam expertus eſt, qua e veſica urinaria calculus non exigui ponderis ſemper educebatur. Inde concludit idem Malacarne, homines ad calculos, arenam et ſabuloſa concrementa diſpoſitos, aut his ipſis adfectos temporis tractu facile et laborare variarum partium, arteriarum, aortae, valvularum cordis oſſificationibus oſſeisque cordis concrementis. Idem demonſtrat allata, quam Senacus ex obſervationibus Jacoti narrat, Doctoris cuiusdam hiſtoria, in cuius cadavere, dum ſaepius per vitam

*) Sulla Litiaſi delle valvule del cuore, discorſo di Vincenze Malacarne, Profeſſore di Chirurgia &c. Vid. Giornale per ſervire alla ſtoria ragionata della medicina di queſto Secolo T.VI. p.154. Vid. et Kühn u. Weigel italien. mediciniſch-chirurgiſche Bibliothek. II.B. 1.S. p. 182.

colicae nephriticae obnoxius fuisset, ac continuo per urinas arenam rubram multis cruciatibus excrevisset, calculus seu os cordis reperiebatur. Monet itaque Malacarne Medicos, cadavera ex eiusmodi adfectionibus emortua secantes, ut non tantum in vitium organicum caute inquirant, sed et reliquas corporis partes dissecent, ad sententiam suam huiusque morbi pathologiam ac therapiam magis illustrandam.

Neque tamen ex calculosis solum renum ac vesicae urinariae concrementis, sed et ex calculis vesicae felleae variarum partium ossificationes oriri, accedente praesertim hereditaria ad calculos dispositione, nostra historia probare videtur, et Bartholini sententia confirmatur, quem Senacus iam credidisse ait, rationem haberi inter calculos renales ac illos cordis. Calculi autem illi a variis auctoribus in corde reperti ac descripti non veri calculi fuisse videntur, sed osseae indolis, ex qua certe eorum primitivae particulae originem ducunt. Quae enim renalium ac vesicae felleae calculorum natura sit, licet nesciamus, certe tamen non mera calculosa concrementa sunt. Iuxta chemica et physica principia, cordis ossa, seu, ut alii volunt, calculi cordis different ab illis renum, vesicae urinariae ac felleae: num vero et differant ratione partium constitutivarum sive particularum elementarium, nondum demonstratum est, et vix unquam demonstrabitur. Forsan ab organo, cui eiusmodi concrementa infixa haerent, varias mutationes et formas sortiuntur, ex quibus dein diversam eorum naturam arguere minime licet. Calculosa illa concrementa cuiuscunque organi, ut imperfecta ossa, quod nec Senacus denegat, cosideranda veniunt, et eodem fere modo, ut ossa ipsa, generantur. Se-

nacus ait: ,,Subſtantia calculoſa valvularum cor-
,,dis quandoque ex oſſium glutine ac particulis ter-
,,reſtribus ſeu ſabuloſis commixta eſt. Hallerus
,,eiusdem eam fuiſſe indolis invenit, quam Cow-
,,per magis magisque obſervatione illuſtravit."

Alii aliam de oſſificatione variarum partium mollium ſententiam fovent. Schroekius *) ait: ,,A ſero extra vaſa effuſo horum oſſiculorum ortum ,,deducere opus erit, quod, uti in ſtatu naturali ,,conſiſtens, membranae, cartilaginis oſſisve na- ,,turam aſſumere aptum eſſe, ſive particulas in ,,eiusmodi corpora coagulari pronas continere, ,,nutritio iſtarum partium nos edocet; ita et gela- ,,tinoſae eius particulis diſſipatis aquoſioribus in ,,oſſea abire corpuſcula potuerunt." Hebenſtreit **) inter alia dicit: ,,Non urgeo membra- ,,nas in oſſa mutatas. praeſto mihi eſt pleurae ,,pars prorſus oſſea, quam topho non abſimilis ,,materies in ſaccum extulit. A pleuritide ſuppurata ,,rem ſic eveniſſe arbitror. Eadem pariter ratione ,,inter arterias deſtructis vaſculis ſanguineis et ,,lymphaticis effuſa materia glutinoſa ibidemque in ,,celluloſis detenta ſpatiis brevi indurabitur, rigi- ,,damque et diſtentam cum anguſtatione cavitatis ,,internae reddet arteriam, quam ſive oſſeam quis, ,,recepto loquendi more, ſive cum Pechlino to- ,,phaceam adpellare velit, me facile conſentientem ,,habebit, dum ipſa in re modoque, quo praeter- ,,naturalis haec induratio generatur, conveniamus." Verum enimvero hypotheſes allatae mihi quidem ſe minime probant, ipſique experientiae contradicere videntur. Nam ſi oſſificationes lympha coagu-

*) Ephem. N. C. Dec. II. H. 3. Obſ. 19.
**) De rarioribus quibusdam oſſium momentis Programma.

labili ac inspissata orirentur, morbus sane non tam infrequens esset, et plures certe homines huic morbo forent obnoxii, quum tamen constat, paucissimos ad ossificationes ac calculos esse dispositos.

Sententias Salzmanni ac Burgravii, quas circa ossium generationis causam Crellius *) allegat, facile refutantur multis observatis ac historiis, quas ipse auctor adfert, quum nempe non in senibus tantum, sed quavis aetatis periodo in ossa mutatae fuerint partes.

Crüwel **) opinatur, materiam podagricam, tophaceam ad nobile organon transferri. Ait enim: ,,Neque inauditum quid esse, quod materiei tophaceae metastasis eveniat, Practicorum de arte medica meritorum monumenta demonstrant. Inde enim constitit, ab hac materia maximi momenti incommoda corpori inducta fuisse, ut exempli loco colica, asthma, adfectus soporosi, apoplectici, calculosi, saepius mors subitanea."

Plures certe repetitae observationes ac cadaverum extispicia causam et naturam morbi magis edocebunt, et Medici maiore intentione malum indagantes ea desiderata eruent, quae hucusque neglexisse videntur, contenti, si, quod durante hominis vita perscrutari nequibant, secto cadavere invenerint, ex quo mortis causam explicare possint, minime vero curantes in naturam et originem huius mali inquirere, ac iusta diaeta, regimine, aut forsan medicaminibus morbum et mortem praevertere. Quae obductione cadaveris invenerant, ad mira

*) De arteria coronaria instar ossis indurata vide Halleri Disp. ad m. historiam et curationem facientes. T. I. pag. 163.

**) Dissert. de cordis et vasorum osteogenesi in quadragenario observata. Halae 1765.

phaenomena casusque perraros retulerunt. Varias partium ossificatarum seu ossium generatorum historias collegerunt Lieutaud, Morgagni, Sénacus, Willisius, Baillie, Bonetus, qui licet observationes suas ad solos cordis valvularum et arteriae aortae morbos restrinxerint, nihil tamen de natura, origine ac medela huius morbi protulerunt, neque omnes ossificationum seu ossium species descripserunt, aut observarunt. Casum igitur mox describendum inter ossificationes esse rarissimum, palam pronunciare fas erit. Lieutaud *) tantummodo binos similes fere casus, alterum ex Diario eruditorum, ex Actis Parisiensibus alterum, refert. Illum sic enarrat: „In cadavere cuiusdam „hydropici quadragenarii, qui nusquam de cordis „palpitatione aliove cordis morbo conquestus fue„rat, reperiebatur basis cordis semiossea, recondens „scilicet os quoddam annulare et superficie inae„quali, intra propriam substantiam, quod ratione „situs non impediebat, quo minus cordis motus „silere exercerentur." Casum alterum his verbis exponit: „Inter sectionem cuiusdam septuagena„rii, qui nullam cordis adfectionem passus fuerat, „inventum fuit in ipsa cordis substantia os quatuor „pollices longum et ultra pollicem latum, inter „ventriculos oblique situm, e quo fibrae carneae „prodiere, vel huic implantari videbantur." Quae binae allatae historiae quum originem ac naturam mali non declarent, tantummodo vitii talis praesentiam in corde secti cadaveris demonstrent, elucet, quantum in morbis topicis, praesertim cordis, semioticae sit fidendum. — Vesalius, Riolanus,

*) Historia anatomico-medica. T. II. pag. 37. Parisiis 1767. 4to.

et Senacus adfirmant, aut raro aut nunquam oſſa in corpore humano reperiri; inveniri ſolummodo valvularum cordis, aortae ac reliquarum arteriarum oſſificationes. Concedunt, oſſa cordis in animantibus grandioribus praecipue inventa fuiſſe. Ita Galenus *) ait: „In elephanto maximo Romae iugulato atque poſt mortem diſſecto reperi „os eximiae magnitudinis." Aſt quaecunque adtulerint in ſuam ſententiam deſcriptores, noſtra ſaltem hiſtoria, ut et illae a Lieutaud deſcriptae, ſatis edocent, oſſa cordi humano implantata veluti exiſtere.

Tales vero adfectiones in ipſo organiſmo animali ſitas eſſe iudico. Pro peculiari enim ſolidorum actione, modificatione ac virtute intrinſeca, i. e. incitabilitate ac incitatione (cuius veram in hoc morbo naturam determinare non licet) ipſi humores (qui effectus fibrarum incitabilium ſunt) abundare videntur particulis glutinoſis, aliisque calculos renum et veſicae felleae oſſificationes oſſaque conſtituentibus. Iam ſi acceſſerint potentiae variae, debilitatem ſeu directam ſeu indirectam inducentes, e. g. vita ſedentaria, diaeta plena, nutriens, lauta, aromatica, vini aut ſpirituoſorum abuſus, varia pathemata animum deprimentia, humorum circuitus languor et vera quaſi ſtagnatio, faciliorque talium particularum ſe- et acceſſus orietur, citiusque malum proveniet, ſi corporis quaedam diſpoſitio ad huius generis morbos innata vel hereditaria vel adquiſita adfuerit. Hinc facile concipies, quomodo concrementa variarum partium ſabuloſa, calculoſa, ſeu oſſea naſcantur, quae vero pro diverſo organo, cui infixa haerent, cernuntur diverſa.

*) Opera omnia. T. I. pag. 298.

Omnia ergo concrementa ex uno eodemque principio conſtructa eſſe, adfirmo: variis tantum organis, ut dixi, modificantur, variaque ſub ſtructura ac forma adparent. Quare cordis eiusque valvularum oſſificationes et calculi cordis, renum, veſicae urinariae ac felleae ex iisdem particulis elementaribus formantur; neque tamen pro veris calculis illa concrementa renum et veſicae habere animus eſt. Inſuper ex ſententia Hebenſtreit ſupra allata ſatis patet, auctores circa naturam oſſificationum disceptare, atque dubitare, an oſſeae ſint ſubſtantiae, an calculoſae, an tophaceae? Interea, ut eorum naturam tutius diiudicare poſſimus, temporis tractu ac longa obſervatione eiusmodi concrementa in cadaveribus reperta, tam cordis, quam renum ac veſicae felleae examini ſubiicere, comparare, atque cum iis varia inſtituere experimenta, neceſſum eſt. Quare in praeſentiarum, quum ea me deſtituunt, votis meis ipſe ſatisfacere nequeo. Ulteriore vero indagatione, obſervatione, atque inſtitutis phyſicis ac chemicis experimentis veritas magis eruetur: quibus vel de contraria convincamur ſententia, et noſtra, cui omnino non pertinaci mente inhaeremus, refellatur, vel magis probetur.

Calculis ac oſſificationibus accuratius examinatis, mali forſan natura non ſolum, ſed et medendi methodus facilius ſtabiliri poterit. Interim mali curam ex mea de oſſificationibus ſententia proponere licebit.

Oſſificationes et oſſa cordis aliarumque partium, ſicut reliqui corporis vitia topica, rariſſime immo nunquam ſanabuntur. Quamquam vero vitii talis iam generati, ut taceam, inveterati ſanatio haud ſit ſperanda, prophylaxis tamen revera inſtituenda erit. Quum igitur experientia doceat, ho-

mines calculo ſeu arena adfectos maxima ex parte huic malo eſſe obnoxios; omnia in primis ſollicite evitanda ſunt, quae in humoribus abundantiam particularum glutinoſarum procreant, (hae enim prima quaſi principia eiusmodi concrementorum conſtituunt:) et contra generata iam in renibus aliisque partibus concrementa calculoſa ſeu ſabuloſa illa porrigenda ſunt medicamina, quibus arena calculique vel ſolvuntur vel expelluntur. Hanc vero curandi methodum non ſuadeo, quod ea cum Malacarne putem impediri migrationem ſubſtantiae ſabuloſae e renibus in alium locum, e. g. ad cor. Morbus enim ſolidorum ac humorum univerſalis eſt, qui, quum varias tantummodo corporis partes adficit, univerſalis ſimul et localis dici poteſt: quare etiam mox arteriae, mox valvulae, mox cordis ipſius partes oſſificatae videntur. Sed ideo illam mali curam commendo, ut morbus in ſolidis et fluidis quaſi latens praecaveatur, et quae iam generata ſint concrementa, per varia organa excretoria vi medicamentorum fibras incitabiles incitantium expellantur.

Cura itaque haec prophylactica maxima ex parte in diaetae cuiusdam ac regiminis obſervantia conſiſtit. Huc confert, victu tenui, leniter nutriente, e carne et vegetabilibus ac fructibus horaeis parato, potu aquae parca vini quantitate mixtae, aquae Selteranae et Fachingenſis moderate uti. Spirituoſa, vina generoſa, aromatica, uti voracitas, nocent. Motus corporis requiritur frequens, aſt moderatus, vectio in rheda, equitatio, deambulatio in aere liberiore et ſereno, peregrinatio, corporis frictiones, quibus ſcilicet ſolidorum actio increſcit, humores adtenuantur, atque ſe- et excretiones augentur. Omnia animi deliquia ſyncopen pro-

creantia, quum humorum motum lentiorem reddant, sollicite evitentur, et, si adversa fortuna animi ingruant deliquia, mox excitantibus dissipentur. Eidem fini conducunt balnea tepida, alcalina, saponacea, thermae. Quin immo praeter regularum diaeteticarum observantiam adhiberi possunt varia remedia interna, et ea quidem, quae in calculo renali, vesicae urinariae ac vesicae felleae laudari solent. Praecipuis vero adnumero aerem fixum a Percival ac Hulme praedicatum, aquam mephiticam Colborni aut Falconeri, clysmata ex aere fixo parata, et praesentibus insimul vel antecedentibus vesicae felleae adfectionibus, oleum terebinthinae volatile aethere vitrioli mixtum. Excitantibus hisce remediis augetur solidorum ac vasorum oscillatio, motus humorum acceleratur, se- et excretiones promoventur, ita, ut concrementorum calculosorum, sive ossificationum fons destruatur, aut, si adfuerint, vasorum resorptione adaucta dissolvantur et expellantur.

Eiusmodi ossea concrementa varias revera molestias ac destructiones in corpore efficiunt, ut ex ipsa nostra historia elucebit. Iure itaque Medicorum adtentionem merentur, qui iusta tractandi methodo eorum perfectam formationem impedire studeant. Omnino quidem generatis nullam curam parabunt, aegrumque hoc malo gravatum inter varias valetudinis turbas misere perire videbunt. Nato enim osse in corde, latera eius continuo motui subiecta ad corpus tam durum adteruntur, praecipue, si, uti in nostro casu, apex usque ad dimidium ossis in cavitate cordis mobilis haereat, atque acie quadam emineat. Hinc facile explicabis cordis palpitationem, anxietatem, suffocationem, animi deliquia, tussin siccam, respirationem difficilem,

ſibiloſam,aſthma &c. — et tandem ſubitaneam mortem, quae et matronam noſtram inter dicta phaenomena deprehendit. Ea ex cauſa, ait Morgagni, ſaepius in corde, diſſecto cadavere, reperta ſunt mox exulcerationes, mox excreſcentiae ſquamoſae, aut tumores ſteatomati ſimiles, aut cordis ipſius laeſio, quam in noſtro caſu vidimus. Acuto enim oſſis apice, in ipſam muſcularem ſubſtantiam penetrante, cordi infligebatur vulnus, et omnia ſymptomata augebantur; repetita inciſione denique exorta eſt levis exulceratio: vehementiore vero corporis motu, dum ſe elevaret aegra e ſella, magis in vulnus iam exulceratum impingebatur oſſiculum; et mox ſubſequebantur ſpasmodica cordis contractio, ſanguinis impedita circulatio, pulſus debilis, inaequalis et intermittens, reſpiratio laborioſiſſima, ſuffocatio, facies hippocratica, frigus extremorum, ac denique ſubitanea mors.

Hiſtoria morbi.

Matrona quaedam, 74 annos nata, laeta ſemper gaudens ſanitate, corpore ſat robuſto ac bene nutrito praedita, ſeptemdecim prolium mater, ante duos tresve annos ictero pertinaci detenta fuit. Variis uſa remediis tandem ſeceſſu calculorum veſiculae felleae ſanitatem recuperavit. Verum tamen ex illo tempore labefieri valetudo ſecunda coepit. Variae ingruunt pectoris adfectiones, periodice recurrentes, magis minusque moleſtae. Reſpiratio difficilis, dyſpnoea, tuſſis, leves ſuffocationes gradientem moleſtantes praecipua fuere ſymptomata. Novem fere abhinc menſibus ineunte vere adfectiones memoratae vehementius recrudeſcunt. Reſpiratio difficilis, anhela ac ſibilans; tuſſis per diem ſicca ſaepiusque revertens, de nocte rarior, ſub

diei vero ortum frequentior cum ſputis pituitoſis, craſſis ac tenacibus. Somnus vix ullus de nocte; decubitus in lecto ſine ulla pectoris moleſtia ad quodvis latus, dummodo ſitu iaceret erecto. Interdiu lecto non detentae motus quivis gravior, v. g. adſcenſus per ſcalas ſuffocationis minatur periculum. Ceterum calor aequalis per totum corpus diffuſus; pulſus tardus, aequalis ac modice fortis. Adpetitus bonus; reliquae functiones corporis ſenſusque bene ſe habent. In primis animus in corpore, hisce licet pectoris adfectionibus gravato, alacris ſibi conſtat, vi cogitandi nullatenus aut perturbata aut imminuta.

Continuato inde aſſae foetidae, extracti taraxaci, ſulphuris aurati antimonii ac potus mucilaginoſi uſu gravia tandem disparuere ſymptomata; remanentibus tamen veſtigiis quibusdam dyſpnoeae quovis motu aut aeris turbidi, frigidi ac humidi interventu auctae. Vitium igitur in cavo thoracis qualecunque organicum adeſſe videbatur. Redeuntibus per aeſtatem levibus quibusdam inſultibus medicamina repetita, ac uſus aquae ſelteranae lacte vaccino dilutae ordinatus. Ceterum per hanc anni partem valetudo, quantum fieri potuit, optima. Hoc praeterlapſo tempore ſymptomata recruduere: tuſſis et raucedo inter loquendum animadvertenda fuere praecipua. Ceterae functiones corporis integrae. Sed mala illa mox remiſerunt adhibitis remediis mucilaginoſis, ſulphure aurato antimonii ac potu calido interpoſito, regiminique calidiori cedebant. Optime tamen valere viſa, ſellam celeriter relinquens, ſub horam 8vam et dimidiam veſpertinam diei 1mae Decembris 1797, gravi dyſpnoea, anxietate ac ſuffocatione corripiebatur. Reſpiratio anheloſa, ſublimis ac ſtertoroſa. Difficilis inſpira-

tio, extenſo ac pleno pectore peragenda, quam pauca et velut impedita ſubſequebatur exſpiratio. Extremitates glaciei adinſtar frigeſcebant; pulſus parvus, debilis, celer ac inaequalis. Interim mens ſibi conſcia perſtabat.

Moſchus, veſicatoria, pediluvia ex ſinapi praeparata, frictiones corporis unguento camphorato ac opio, clyſmata ac potus Thee ex chamomilla in eo ſtatu ordinantur. At vires labaſcere, reſpiratio fieri difficilior, ac pulſus reddi intermittens, mens deficere. Iam pulſus evaneſcit, reſpiratio intercipitur, ac hora 9na et dimidia aegra moritur.

Sectio cadaveris.

Sectione cadaveris die 2da Decembris veſpere ſub horam 6tam inſtituta externa ſuperficies talis eſt reperta:

1. Facies perpallida.
2. Pars oſſea anterior tertiae et quartae coſtae verae cum quinta lateris ſiniſtri notabiliter inflexa verſus cavum thoracis, haec vero inflexio ad latus dextrum haud ita notabilis.
3. Abdomen magnum et tumidum.
4. Dorſum maculis ſat magnis et lividis notatum.

Aperto cavo thoracis

5. Pulmo dexter parietibus illis pleurae accretus, quae thoracis cavum poſterius, diaphragma ac mediaſtinum obducit.
6. Pulmo autem ſiniſter ab omni concretione liber erat.
7. In cavitate pectoris dextra quatuor fere humoris aquoſi unciae reperiebantur, minor aquae quantitas vero in ſiniſtra.
8. Superficies lobi ſuperioris pulmonis dextri parvas indurationes cartilagineas, parenchyma vero

utriusque pulmonis neque tubercula neque indurationes habebat. Cellulae pulmonales ac bronchiae multa pituita multoque aere refertae. Vasa sanguifera parum sanguinis continebant.

9. Glandulae bronchiales ut plurimum calculosae, unaque cum bronchiis intime concretae.

10. Interna laryngis ac tracheae superficies multo muco obducta.

11. Pericardium tres circiter aquae flavescentis uncias continebat.

12. Ventriculi ac arteriae cordis prorsus ac omnino sanguine vacua.

13. Ad orificium venosum ventriculi cordis aortici, nimirum atrii posteriorem minorem valvulam inter et eiusdem ventriculi parietem posteriorem corpus osseum, scabrum, duos et dimidium pollicem longum, semilunare haerebat. Parti huius ossis semilunaris concavae superior valvulae posterioris pars erat accreta; inferior vero libera in cavo eminebat; ossis autem pars convexa partim cum pariete posteriore, partim etiam cum septo ventriculi aortici erat concreta. Extremitas ossis semilunaris inferior maxima ex parte libera prominebat versus ventriculi cavitatem, et tribus circiter lineis a superiori; altera autem ossis extremitas ab altera duobus distabat pollicicibus, cuius postica ac aspera valde extremitas parietem ventriculi aortici posteriorem ita incidebat ac fricabat, ut pars quaedam exulcerata oriretur: antica vero et acuta nonnisi membrana interna ventriculi obducta extremitas, ad septum ventriculorum proxime infra ostium arteriosum ventriculi aortici prominebat. Valvula huius ventriculi maior anterior venosa naturaliter sese habebat. Ceterae quoque cordis valvulae optime plerumque constitutae erant.

14. In aorta, quum adſcendente tum deſcendente, hinc inde indurationes oſſeae videbantur.

15. Secto abdomine, omnia viſcera in ſtatu naturali inveniebantur; in cavo autem abdominis pauca aquae quantitas, uti in demortuis reperitur, adfuit.

Explicatio.

Tab. I.

a. a. Apertus cordis ventriculus aorticus, cui pars dimidia inferior abſciſſa eſt.

b. b. Atrium ſiniſtrum diſciſſum.

c. c. Valvula minor poſterior oſtii venoſi, quae os obtegit.

d. Valvula maior anterior oſtii venoſi.

e. e. e. Proeminentiae ad valvulam poſteriorem minorem, aſperitatum oſſis impreſſionibus conſpicuae.

f. Exulceratio ad poſteriorem parietem ventriculi aortici, quam poſterior ac aſpera oſſis extremitas fricando incidebat.

Tab. II.

a. a. Apertus ventriculus cordis aorticus, cui pars dimidia inferior abſciſſa.

b. b. Atrium ſiniſtrum diſciſſum.

c. c. Valvula minor poſterior oſtii venoſi verſus atrium ita reflexa, ut os conditum clarius conſpiciatur.

d. d. Os in corde repertum.

e. Extremitas oſſis anterior acuta, a membrana ventriculi cordis interna obducta.

f. Extremitas oſſis poſterior aſpera, craſſa, libereque proeminens.

g. Exulceratio, quam poſterior ac aſpera oſſis extremitas fricando incidebat.

Febres intermittentes.

Quotidiana.

Ancilla quaedam, 25 annos nata, habitu cachectico et debilitato, colore faciei flavo, ab incunabulis optima gaudebat ſanitate. Partu ante dimidium annum feliciter peracto, ſtatim nutricis munus ſubiit. Ex eo tempore ſemper ſana nunquam menſtrua experta eſt; elapſo autem dimidio anno rediere, regulariterque fluxere ſine ſanitatis laeſione. Aliquot poſt ſeptimanis, nempe quarta ſeptimana ante morbi initium, ubi infanti adoptato ubera porrigere recuſavit, mammae intumuere inflammatae atque graviter dolentes. Adplicavit iis emplaſtrum discutiens, ut ait, a Medico praeſcriptum, quo intumeſcentia ac dolor in dies disparuit. Verum non ita multo poſt correpta eſt frigore, calore ac ſudore irregulariter alternantibus ac redeuntibus, totius corporis laſſitudine, vertigine, cephalalgia, aurium ſuſurru, anorexia, alvi obſtructione tres dies ſaepius perdurante, quam non raro excepit diarrhoea. Febris initio irregularis, mox typum tertianae, denique quotidianae adſumſit, et paroxyſmus ſemper hora 1ma pomeridiana initium cepit.

Hac febre iam detenta quum variis laboribus domeſticis fungi cogeretur, atque multa incommoda, refrigerationem animique pathemata, praecipue iram experiretur; malum in dies crevit ita, ut tandem in noſocomio medicam imploraret opem, quo et die 16ta Iulii recepta eſt.

Habitus corporis et ſymptomata, uti ante deſcripſimus: abdomen inſuper maxima ex parte molle, in regione hypochondriaca dextra et ſiniſtra magis tumidum et durum, ab adtactu dolens, pedes oedematoſi, pulſus debilis. Adſuerunt quoque

ſudores copioſi per noctem, decubitus in dorſo moleſtus, reſpiratio difficilis, anxietas, ad levem corporis motum cordis palpitatio, faucium ſiccitas, gutturis conſtrictio, alieni corporis in oeſophago haerentis ſenſus, ſitis vehemens, flatus et ructus, praecordiorum oppreſſio, ventriculus poſt ingeſta dolens ac facile ſatiatus; adpetitus proſtratus; paroxyſmi tempore nauſea ac vomitus glutinis. Menſtrua per quatuor ſeptimanas ceſſavere.

Die 17ma. Hora 11ma et dimidia paroxyſmus febrilis intravit. Frigus per unam horam, calor per totum tempus pomeridianum continuavit. Sudor veſperi ingruit. Praeſcribitur aegrae mixtura haec extra paroxyſmum propinanda:

℞. Pulv. rad. valer. Unc. dimid.
infund. aq. fervent. Unc. ſeptem. Cola.
Colatur. adde
Liq. anod. min. Hofm. Scrup. duos.
Mell. depurat. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

Durante paroxyſmo propinabantur potus copioſi ex decocto hordei cum melle et infuſum flor. chamomillae.

Die 18va. Paroxyſmus ſub recenſitis ſupra ſymptomatibus hora 12ma incepit. Febris fuit eadem. Medicina continuatur ſolo ex eo fine, ut typus huius febris accuratius obſervari poſſit.

Die 19na. Febris inſultus hora 11ma ac dimidia incepit cum levi tantum horrore, quem inſecutus eſt poſt meridiem calor ac ſudor per veſperum et noctem. Symptomatibus allatis quum ſeſe adſociarent vomitus inanes et diarrhoea aquoſa; febrim nunc quotidianam intermittentem declaravimus, et ſequentia praeſcripſimus extra paroxyſmum ſumenda:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. unam.
coq. cum aq. font. Unc. ſedecim ad remanent. Unc. octo. Col. in Colat. diſſolv.
Extract. amar. Dr. duas. Adde
Mell. depurat. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio vaſculum dimidium.
℞. Laud. liq. Sydenh. Dr. duas.
DS. Guttas viginti capiat brevi ante paroxyſmi tempus. — Diaeta eadem.

Die 20ma. Diarrhoea ac vomitus ceſſarunt. Ceterum eadem rerum conditio.

Die 21ma. Paroxyſmus, mitior priori, hora 2da pomeridiana incepit cum levi horrore, quem calor modicus et ſudor ſubſecuti ſunt, per totum tempus pomeridianum et noctem perſeverantes. Symptomata reliqua eadem.

Die 22da. Eadem.

Die 23tia. Eadem. Capitis atque pectoris ſymptomata per hosce dies ſenſim evanuerunt; aderant tantummodo laeſae digeſtionis quaedam phaenomena, ut ructus, adpetitus proſtratus, laſſitudo ac febris.

Die 24ta. Febris valde mitis; ſomnus et ſudor recreans per noctem. Caput et pectus liberum; adpetitus nullus; alvus aperta; laſſitudo, urina flava; et aegra alacris faciem pallidam refert.

Die 25ta. Febris ceſſavit, nec queritur aegra niſi de laſſitudine et adpetitu nondum reſtaurato, ab ingeſtis licet nullum ſentiret incommodum.

Die 26ta. Eadem. Medicamenta eadem, omiſſo tamen Laudano liquido Sydenhami. Diaeta portio quadrans et vinum aqua dilutum.

Die 27ma. Pedes usque ad crura fere intumuere. Aegra ſe omnino ſanam praedicat, excepta ingenti laſſitudine.

Die 28va usque ad 30mam. Eadem rerum conditio. Ordinabatur:

℞. Elixir. Robert. Whytt. Unc. unam.

DS. Ter de die capiat guttas quadraginta.

Continuatur hoc remedium usque ad 8vam Augusti diem. Blando sudore quavis nocte prolecto viribusque restauratis pedum oedema cessavit, menstrua rediere, et aegra sana omnino die 16ta Augusti nosocomium dereliquit.

Eberhardt.

Febris intermittentis tertianae Historia I.

Barbara Regel, Sulzfeldensis, 23 annos nata, ancilla, habitum corporis referens cachecticum, a prima iuventute morbis infantilibus, capitis tinea, frequenti cephalalgia, symptomatibusque, ut aiunt, verminosis vexata, fluxu menstruo circa 16tum aetatis suae annum ingruente atque regulariter dein redeunte, maiorem sanitatis firmitatem nacta fuit. Octo circiter abhinc septimanis inscia causae, excepto, quod accuset labores servitio adnexos refrigeriaque, mensium suppressionem passa est, quin tamen aliud inde incommodum, nisi artuum lassitudinem abdominisque tumiditatem experiretur. 20ma Maii mane sine notabili causa corripitur frigore totius corporis, cephalaea, siti multa, subsequente calore sudoreque. Symptomatibus his per tres horas vexata valdeque defatigata solitos labores adgreditur. Post nycthemeri apyrexiam eadem fere revertuntur symptomata, eodemque modo decurrunt. Febris sibi relicta, tertia quavis die cum iisdem symptomatibus eademque fere hora rediens, quum magnam induxisset virium prostrationem or-

ganique digeſtionis perturbationem; aegra tandem in noſocomium portatur veſpere diei 4tae Iulii. Apyrexiae tempore queritur de ſumma artuum laſſitudine, de doloribus artuum lancinantibus, de nauſea et praecordiorum preſſione. Faciem videmus pallidam, linguam muco albeſcente obductam, abdomen nec tumidum nec tenſum. Sitis nulla, reſpiratio libera, pulſus parvus parumque frequens.

Die 5ta Iulii. Hora 5ta matutina paroxyſmus febrilis inchoat cum frigore totius corporis per duas horas durante, vomituritione, cephalalgia et odontalgia. Praecordia tenſa ſub adtactu dolent. Sequitur calor atque ſitis vehemens. His ſymptomatibus per ſeptem horas inſiſtentibus ſudor largus finem imponit.

Die 6ta Iulii. Apyrexia. Accuſat tamen cephalalgiam, nauſeam, ſaporem oris amarum, praecordiorum preſſionem, dolores colicos. Ceterum lingua muco flaveſcente obducta, reſpiratio libera, pulſus parvus et parum frequens, alvi urinaeque excretio naturalis. Ordinatur:

℞. Pulv. rad. Ipecacuanh. Gr. decem.
Tart. emet. Gr. unum.
M. f. pulv. DS. Capiat una vice.

Pro potu autem praeſcribitur decoctum ordinarium. Diaeta portio quadrans.

Veſpere. Quater vomendo exiguam materiei viſcidae ſeu glutinis eiecit copiam. Alvus ter ſoluta eſt. Eadem perſiſtunt ſymptomata.

Die 7ma Iulii. Paroxyſmus febrilis ſerius ac heri aegram invadit, iisdem ſtipatus ſymptomatibus, eodemque ordine atque decurſu. Praeſcribitur:

℞. Pulv. cort. peruv. Dr. dimid.
— rad. Valer. ſylv. Gr. quindecim.

M. f. pulv. pro dosi, et dentur tales doses Nro duodecim.

Sig. Sumat omni bihorio dosin unam.

℞. Liq. anod. miner. Hofm. Dr. duas.

DS. Capiat ter de die guttas viginti.

Diaeta eadem.

Die 8va Iulii. Apyrexia. Aegra sese sat bene habere credit. Desunt tamen adpetitus et somnus. Ordinatio eadem; pro potu vinum aqua dilutum.

Die 9na Iulii. Hora 5ta matutina paroxysmus ingruit, symptomatibus tamen nec tam vehementibus nec ultra quinque horas perseverantibus. Quater alvum fluidam exoneravit. Ordinatio eadem.

Die 10ma Iulii. Non dormivit aegra. Sapor oris amarus, lingua flavescens, vespere vomituritio, dolores colici, respiratio naturalis, uti et pulsus; una alvi excretio. Continuantur singula.

Die 11ma Iulii. Aegra bene dormivit. Circa horam 1mam pomeridianam instat cephalalgia, vomituritio, dolores colici, diarrhoea, calor corporis auctus, sitis multa, pulsus parvus et frequens. Post quatuor horas evanescunt haecce symptomata, remanente debilitate. Repetuntur singula.

Die 12ma Iulii. Praeter artuum lassitudinem et anorexiam aegra bene sese habet. Continuantur medicamina.

Die 13tia Iulii. Hora 1ma pomeridiana queritur de cephalalgia, de doloribus lumborum, summa corporis debilitate, calore corporis aucto, siti multa. Post aliquot horas haec symptomata evanescunt. Praescribitur:

℞. Pulv. cort. de Quido Scrup. unum.
— rad. Valer. sylv. Gr. decem.
Aethiop. martial. Gr. quatuor.

M. f. pulv. pro doſi, et dentur tales doſes Nro duodecim.

S. Sumat omni trihorio doſin unam.

Repetatur quoque liquor anodinus.

Die 14ta Iulii. Aegra ſat bene valere ſe ait: aſt nullos adpetit cibos.

Die 15ta Iulii. Hora 1ma pomeridiana vexatur vomituritione, ſapore oris amaro, aurium ſuſurru, doloribus colicis, calore corporis aucto, quibus accedunt ſudor et diarrhoea. Aegram his defatigatam ſymptomatibus ſomnus recreat. Repetuntur pulveres ultimo ordinati et liquor anod. min. Hoſm.

Die 16ta Iulii. Aegra bene ſeſe habet. Non adpetit. Una alvi excretio. Medicamina eadem.

Die 17ma Iulii. Circa horam 2dam pomeridianam aegra corripitur vertigine, cephalalgia, calore corporis aucto, ſiti multa, ſubſequente poſt aliquot horas ſudore largo. Repetantur pulveres, et detur omni bihorio doſis una.

Die 18va Iulii. Aegra adpetit cibos, nec queritur niſi de artuum laſſitudine. Repetuntur pulveres et Liq. anodinus. Diaeta: portio dimidia et pro potu vinum aqua dilutum.

Die 19na Iulii. Aegra circa horam 2dam pomeridianam accuſat anxietatem atque pectoris oppreſſionem. Adpetitus fuit ſat bonus et alvi urinaeque excretio naturalis. Ordinatio eadem.

Die 20ma Iulii. Omnes functiones obſervantur naturales. Ordinatio eadem.

Die 21ma Iulii. Mane ingruit diarrhoea vires valde frangens. Circa horam 2dam pomeridianam adſociantur anxietas pectoris, vertigo, calor cutis auctus, ſitis multa, vomituritio, dolores colici, quae ſymptomata tamen poſt horas aliquot plane ceſſant. Ordinatur:

℞. Mucil. gummi arab. Dr. tres.
Aq. font. Unc. ſeptem.
Tinct. thebaic. Dr. dimid.
Syrup. emulſiv. Unc. unam.
MDS. Capiat omni hora cochlearia duo.

℞. Pulv. cort. de Quido Dr. dimid.
— rad. Valer. ſylv. Gr. decem.
M.f.pulv.d.pro doſi, dent.tales doſes Nro duodecim.
S. Sumatur omni bihorio doſis una.

Pro potu ſit decoctum ordinarium et vinum aqua dilutum.

Die 22da Iulii. Aegra bene dormivit. Diarrhoea omnino disparuit, et praeter corporis debilitatem omnes functiones obſervantur naturales. Repetuntur mixtura et pulveres. Diaeta.eadem.

Die 23tia Iulii. Circa horam 1mam pomeridianam aegra corripitur horripilatione, poſt dimidiam horam in calorem et ſudorem transeunte. Ceteroquin bene ſeſe habet. Repetuntur pulveres.

Die 24ta Iulii. Nihil praeter debilitatem accuſat. Ordinatio eadem ac diaeta.

Die 25ta Iulii. Bene ſeſe habet, nec febri ulterius adficitur aegra. Ordinatur:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. unam.
coq. c. aq. font. Unc. duodecim ad remanent. Unc. ſex.
Col. Colat. adde
Liq. anod. min. Hofm. Scrup. duos.
Syrup. cort. aurant. Unc. unam.
MDS. Capiat omni bihorio cochlearia duo.

Diaeta eadem.

Die 26ta Iulii. Perbene ſeſe habet. Omnes functiones naturales. Repet. decoct. chinae et dicta diaeta.

Licet nulla in poſterum febris indicia amplius adparuerint, continuavimus tamen medicamina roborantia ac nutrientia, usque dum corpus bene nutritum ſe nobis repraeſentaret. Ex catameniorum retentione quum nullum ſentiret incommodum, ſana die 30ma Iulii e noſocomio egreſſa eſt.

Eberhardt.

Febris intermittentis tertianae Hiſtoria II.

Ioannes Goepherich, Lauterbacenſis, faber lignarius, 19 annos natus, corpore praeditus robuſto, exceptis morbis infantilibus, ſanitate fruebatur ſemper incolumi. Die 27ma Iunii 1798 quum mane corpore calefacto magnam aquae frigidiſſimae copiam ingurgitaſſet, corripitur ſub veſperum horrore totius corporis, quem poſt duas horas ſequitur cephalaea, ſitis vehemens, calor corporis auctus, ſudor denique largus. Valde debilitatum ſomnus per totam noctem recreavit, dieque 28va tam bene ſeſe habuit, ut labores ſolitos peragere valeret. Die vero 29na hora 4ta matutina rediit febris, atque ſymptomatibus ſupra recenſitis ſeſe adſociarunt oris amarities, vomituritio, praecordiorum preſſio. Poſt ſex horas evanuit febris, relicta ſumma artuum laſſitudine. Veſpere in noſocomium delatus aeger queritur de cephalalgia, de ſapore oris amaro, nauſea, praecordiorum preſſione, de hypochondrii ſiniſtri dolore punctorio, inſpiratione aucto, et de corporis debilitate. Facies pallet; lingua muco flaveſcente obducta; calor cutis naturalis; pulſus parvus, debilis et parum frequens; abdomen nec tumidum nec tenſum; alvus

per triduum non aperta; urinae excretio naturalis. Ordinatur:

℞. Pulv. rad. Valer. ſylveſtr. Unc. dimid.
infunde aq. ferv. Unc. ſeptem.
ſtent in digeſt. tepid. per dimid. horam.
Col. Colatur. adde
Liq. anod. miner. Hofm. Dr. dimid.
Mell. depurat. Unc. unam.
MDS. Capiat omni hora cochlear unum.

Pro potu habeat decoctum ordinarium, et diaeta ſit tenuis.

Adplicetur clyſma emolliens.

Die 30ma Iunii. Aeger per noctem inſomnem multum ſudavit, alvumque bis exoneravit. Repet. mixtura et Diaeta eadem.

Die 1ma Iulii. Circa horam 5tam matutinam adficitur frigore per unam horam durante, quod ſubſequitur calor vehemens, cephalalgia ſitisque. Paroxyſmum finit ſudor. Ceterum aeger cibos non adpetit. Alvi urinaeque excretio naturalis. Medicamina et Diaeta eadem.

Die 2da. Praeter laſſitudinem aeger nil accuſat. Non adpetit cibos. Medicamina et Diaeta eadem.

Die 3tia. Mane vexatur per duas horas, a 4ta nimirum ad 6tam, calore vehementi, quem ſudor largus et univerſalis ſequitur. Invenimus caput vertiginoſum, linguam muco obductam, pulſum parvum et frequentem, magnamque corporis debilitatem. Ordinatur:

℞. Pulv. rad. tormentill. Scrup. duos.
— — gent. rubr. Scrup. unum.
M. f. pulv. d. pro doſi, et dent. tal. doſ. Nro octo.
S. Sumat omni bihorio doſin unam.

Die 4ta. Apyrexia. Aeger adpetit. Alvus bis mota. Medicamina eadem. Pro Diaeta portio

quadrans, et pro potu dimidia vini menſura aqua diluti.

Die 5ta. Hora 2da nocturna ingruit febris cum horripilatione, quam poſt dimidiam horam ſubſequitur calor vehemens, cephalalgia, ſitis, et tandem ſudor largus. Mane reperimus aegrum laſſum, pulſum debilem et parvum, adpetitum proſtratum, alvum clauſam. Medicamina et Diaeta eadem.

Die 6ta. Aeger ſat bene ſe habet: adpetit, alvumque bis depoſuit. Repet. pulveres. Diaeta eadem.

Die 7ma. Hora 3tia nocturna rediit febris: aſt calor et cephalaea mitior; ſitis multa; ſudor pene nullus. Poſt unius horae ſpatium ſomnus revertitur. Mane queritur aeger de oris amaritie et praecordiorum preſſione. Alvus clauſa. Facies pallida, caput vertiginoſum, lingua muco albeſcente obducta, reſpiratio libera, pulſus parvus ac debilis, ſumma virium proſtratio. Medicamina et Diaeta eadem.

Die 8va. Aeger non queritur niſi de corporis debilitate, et adpetit. Alvi et urinae excretio naturalis. Medicamina et Diaeta eadem.

Die 9na. Nocte dormivit aeger, nec niſi hora 6ta matutina correptus levi horripilatione, quam ſequebantur calor et ſitis exigua. Sed mox disparent et haec ſymptomata, horaque 9na aegrum febri omnino liberum vidimus. Adpetit cibos. Alvus mota. Repetuntur pulveres. Diaeta eadem.

Dio 10ma. Apyrexia. Aeger bene dormivit, et adpetit. Repetuntur pulveres. Diaeta eadem.

Die 11ma. Bene dormivit. Hora 8va ingruit horripilatio corporis univerſi, quam poſt dimidiam horam ſequitur cephalaea, calor, denique ſudor, ſiletque poſt unius horae ſpatium paroxyſmus febrilis. Ordinatur:

℞. Pulv. cort. peruv. Scrup. duos.

D. pro dosi, dentur tales doses Nro octo.
S. Sumat omni bihorio dosin unam.

Diaeta eadem.

Die 12ma. Aeger sat bene valet, et cibos adpetit. Alvus semel mota. Repetuntur pulveres. Diaeta eadem.

Die 13tia. Nox quieta. Hora 6ta matutina accedit calor mox disparens, dein sudor per omne corpus diffusus. Ceterum adpetit aeger, alvumque deposuit. Repetuntur pulveres. Eadem diaeta.

Die 14ta. Aeger nil accusat, et adpetit. Alvi et urinae excretio naturalis. Repetuntur pulveres et Diaeta.

Die 15ta. Febris non accessit, et mane aegrum omni febre liberum reperimus. Ordinatio eadem.

Die 16ta. Aeger bene sese habere adfirmat. Cetera eadem.

Die 17ma. Hora 5ta matutina de cephalalgia queritur. Ceteroquin omnes functiones naturales observantur. Medicamina cum Diaeta eadem.

Die 18va. Quam optime aeger sese habet. Medicamina et Diaeta eadem.

Die 19na. Bene dormivit, et adpetit aeger. Omnes functiones reperiuntur naturales.

Sic continuatis usque ad diem 21mam Iulii medicamentis, concesso dein cibo lautiore maioreque vini portione omnino restitutus die 31ma Iulii nosocomio excessit.

Kuhlmann.

AUGUSTUS.

Ineunte hoc menſe calida amoenaque tempeſtas. 4ta nocte imbres et tonitrua. 5ta et 6ta ventoſa, nubeculoſa, frigida. 7ma ad 12mam usque calida, amoena, coelum ſerenum, ſparſis tantum nubibus tectum. 13tia et 14ta calidiſſima. 15ta mane imbres et tonitrua, per diem vero calida, amoena, ſparſim pluviae. 16ta amoena, calida, ſub veſperum pluvioſa. 17ma pluvia. 18va usque ad 23tiam amoena calidaque tempeſtas. 24ta frigida et ventoſa. 25ta usque ad menſis finem ventoſa, ingrata frigidaque tempeſtas.

Initio huius menſis continuarunt febres nervoſae, de quibus menſe priore mentionem feci. Ceterum nec in urbe nec in noſodochio peculiares morbos graſſantes obſervavi, fuitque menſis revera inanis. Cholera, dyſenteria, diarrhoea, morbi alias hoc anni tempore ordinarii, non occurrere; plurimi aegrotantes morbis chronicis detenti fuere, atque tres ex phthiſi defuncti. Notatu dignae erant febres nervoſae levioris indolis, excitantibus et roborantibus ſanatae. Omnes fuerunt ſtipatae ſymptomatibus ſic dictis gaſtricis, quare febres gaſtricas ipſas nominare, et ſolventibus ac evacuantibus curare alii conſueverunt. Aſt quam incongruum ſit nomen, ex morbi deſcriptione, cauſarum praegreſſarum notione, ſtatu morbum praecedente ac noſtra tractandi methodo elucet. Omnes, quae gaſtricae agnoſcebantur, tales nonniſi debilitante medendi methodo reddebantur, id eſt, maior corpori conciliabatur debilitas, organis praeſertim digeſtionis, indeque omnia ſymptomata neceſſario oriri debebant, quae debilitati, non ſaburrae circa praecordia ſtagnanti tribuere poſſumus. Per hunc an-

num, ex quo mihi in nosodochio tractare aegros concessum est, nunquam vidi sic dictas febres gastricas, sed omnes ut febres nervosas seu leviores seu graviores cognovi, atque methodo excitante ac roborante sine omni medicamine solvente aut evacuante feliciter sanavi, viribusque restauratis brevi febrem et gastrica phaenomena ab aliis tanto conatu et clamore celebrata dissipavi.

Morbi, quos memorare hoc mense licebit, sunt paresis brachii sinistri convulsionibus colli et faciei stipata, ac hydrops ovarii peculiaris indolis.

Hydrops ovarii est morbus non adeo infrequens, ut variorum auctorum testimonia et exempla satis confirmant. Walterus *) prae reliquis hydropes tales eleganter descripsit et delineavit. Multa quoque leguntur exempla **) ovarii in stupendae molis tumorem degenerati et amplitudine hydropem a nobis observatum longe superantis. Imhof vidit ovarium monstrosum hydropicum, quod statera ponderatum habuit 42 libras, et in observationibus Wepferi legitur, materiem in hydropis sacco contentam ponderasse 120 libras, immo 160, ut Delius ***) observavit.

Quamquam vero hydrops ovarii a me describendus mole sua minor fuerit, eius tamen historiam hic legere forsan non poenitebit, quum varia in illo mihi videor observasse, quae in aliis libris non perscripta sunt. Ac primo quidem in ovarii hydrope, cuius historiam mox expositurus sum, vidi propriam quandam ac peculiarem contenti humoris

---

*) Nouveaux Memoires de l'Academie des Sciences à Berlin pour l'année 1786.

**) Imhof in Hall. disput. ad morb. hist. et curat. fac. de ovario hydropico in virgine reperto. Basil. 1718.

***) Fränkische Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre u. s. w. 3ter Band. Nürnberg 1758.

ſubſtantiam, gelatinae ſimilem, qualem adhuc nullibi obſervatam me legiſſe memini. Quem Baillie *) in ovarii hydrope reperiri dicit, humorem craſſum, denſum, gelatinoſum, ne unico quidem exemplo confirmat. Dein dilacerationem ſacci, qui hydropem eiusdem indolis continebat, et materiem illam vidi rupta membrana in cavum abdominis effuſam et obducentem omnia in hoc contenta viſcera, qua demum adgregata ita venter intumuit, ut omnia aſcitis phaenomena in aegra adparerent. Demonſtrat praeterea hoc exemplum, quanta humoris in ovario hydropico contenti ſit varietas, quam facilis ſit in ovarii hydrope membranae hydropem ambientis disruptio, et quae mala inde ſubſequi poſſint. Iuxta auctorum obſervata latet talis hydrops in ventre, quin aegra ullum ſentiat incommodum, et in aegra meae curae tradita malum latuiſſet, niſi mors tandem illud detexiſſet. Hiſtoria denique mox enarranda docet, quam cautus eſſe debeas in formanda diagnoſi, quantopere fallant ſigna morborum, quid medelae morborum ſymptomatibus innixae fidendum, quid ab ea ſit exſpectandum.

In eo morbi ſtadio, in quo aegra noſtra verſabatur, diagnoſin hydropis ovarii formare, difficillima, quin immo impoſſibilis res fuit. Aderant omnia, ut ex hiſtoria patebit, infallibilia aſcitis ſymptomata, qui, ex cauſis praegreſſis et vitae genere ſi iudicare liceat, ab univerſali corporis debilitate ortus, ideoque topico cuidam imi ventris vitio iunctus fuit. Varia characteriſtica, ex quibus auc-

*) Abhandlung des krankhaften Baues von einigen der wichtigſten Theile am menſchlichen Körper. Aus dem Engliſchen mit Zuſätzen von Sömmerring. 1794.

tores hydropis ovarii diagnoſin elucere adfirmant, ſunt tumor inaequalis aliqua duritie ſtipatus in alterutro hypogaſtrii latere, in ea nempe regione, ubi deprehenditur ovariorum degeneratorum ſitus; fluctuatio non percepta in abdomine digitis percuſſo, qualem in aſcite reperimus; abdomen totum nec dolorifice tenſum, nec renitens, nec tympani adinſtar ſonum a percuſſione edens, qualem in tympanita obſervamus; dolor circumſcripti quaſi tumoris in regione hypogaſtrica ſub adtactu auctus; pedis oedema eiusdem lateris, in quo tumor antea dictus percipitur; porro difficilis urinae emiſſio cum frequenti eandem mittendi conatu; continua preſſio incedente aegra ac ponderis ſenſus in regione pubis; ſenſus haerentis in abdomine molis vehementiore corporis motu ſuſcitatus, in ea parte, ubi durus tumor percipitur; menſes praeterea irregulares, mox obſtructi, mox largiores, mox dolorifici &c.

Verum in noſtra aegra ex hisce ſymptomatibus plurima defuerunt. Venter nec tumorem ex uno latere, nec duritiem nec inaequalitatem referebat, ſed, uti in aſcite, aequaliter tumidus, tenſus ſenſibilem fluctuationem percutienti oſtendebat. Certe ſigna ab auctoribus allata non latuiſſent, niſi fortuito ac infelici caſu membrana hydropem cingens dilacerationem paſſa fuiſſet, qua contenta materies per totum abdominis cavum ſeſe effudit: nec aegra praematurae morti ſuccubuiſſet. Plures enim leguntur caſus, ubi feminae per totum vitae tractum eiusmodi hydropes in abdomine portaverint incolumes.

In genere autem, quod huius morbi diagnoſin adtinet, initio, ubi eiusmodi tumores in abdominis cavo adhuc latent, nunquam detegentur, increſ-

centibus autem, ubi nempe ab auctoribus recensita phaenomena adparent, mali praesentiam coniecturare tantum, at non certo demonstrare licebit. Eiusmodi enim phaenomena correspondent et aliis topicis adfectionibus abdominis. Minus evidens vel plane impossibilis erit mali cognitio in eo statu, si asciti iungitur morbus, aut, ut in nostro casu, sacco rupto materies gelatinosa aut quaecunque alia in cavum abdominis effluxit, qua abdomen ad notabilem magitudinem extenditur, omnemque vetat morbi explorationem.

Hydrops ovarii.

Ancilla quaedam, 44 annorum, parentibus nata pauperibus rusticis, habitu corporis rigido et macilento, colore faciei ex flavo subfusco, a prima iuventute nullo quidem graviore adfecta morbo, semper tamen infirma, ut ait, valetudine conflictabatur. Menstrua circa 20mum annum intrantia nunquam regulariter fluxere, mox per duos menses mox per totidem annos non rediere, redeuntia semper parca multis sub torminibus fluxere, miseramque saepissime fluor etiam albus tempore menstruali vexavit. A 24to aetatis anno, quum scabiem, qua fuit adfecta, remediis externis, praecipue unguento ex sulphure parato sanasset, varias in corpore molestias percepit. Inde ab anno 30mo vita iam acerba miserrima esse coepit, quod matre defuncta molestum ancillae rusticanae servitium subire coacta fuit. Variis contristata aerumnis, sine ulla vitae amoenitate, nutrimentis vel crudis vel nullis usa, omnibus aeris externi iniuriis, refrigerio ab aestuatione, frigidae modo, modo humidae tempestati exposita, labores gravissimos perficere, saepiusque

vigiliis nimium indulgere coacta, ſibi conſulere, ſuaeque ſanitatis pro voto rationem habere vix potuit. Iamque non raro accidit, ut de vertigine, dolore premente in praecordiis eorundemque intumeſcentia poſt ciborum ingeſtionem conquereretur.

Circa 19nam Martii huius anni ſubito, poſtquam levarat molem non exiguam, in dextro abdominis latere ſtrepitum percepit, ac ſi in inteſtinis quid diſſiliret, mox dolorem pungentem, ab adtactu auctum, et decubitum in illo latere impeditum ſenſit. Tumor dein notabilis in hac regione ortus eſt, in dies magis increſcens, tandem per omne abdomen ſeſe extendens. Perpetuo nunc querebatur de dolore preſſorio urenteque in praecordiis poſt ciborum ingeſtionem, tuſſi ſicca, decubitu difficili in dorſum et latus dextrum, ſuſurru aurium, ſudore frigido et inaequali per noctem, atque non raro hoc tempore diarrhoea aquoſa vexabatur. Increſcente in dies abdominis tumore, quum ante morbi initium coitum exercuiſſet, gravidam ſe exiſtimavit, ideoque more ſolito inſtituta venae ſectione unam pene ſanguinis libram amiſit. Aucto ſenſim morbo viribusque valde fractis, laboris tandem impos, ab omnibus derelicta, modo hic modo illic miſericordiam hominum de victu quotidiano implorare coacta fuit. Magnam huius temporis partem ſine hoſpitio, deficientibus omnibus ad vitam ſuſtentandam neceſſariis in perpetuo lictorum timore peregit, tandemque morbo ad ſummum gradum progreſſo in noſocomio auxilium quaeſivit, ubi etiam die 29na Iulii recepta eſt.

Habitus corporis, ut antea deſcriptus, abdomen nimium in modum, at aequabiliter tumidum et tenſum, fluctuatio ſenſibilis, uti in aſcite obſervari ſolet, pedes tumidi et oedematoſi, pulſus frequens,

parvus et debilis inveniebatur. Respiratio laboriosa, dyspnoea, tussis sicca, dolores vagi in imo ventre, cephalalgia, vertigo; urinae pallidae parcius fluebant. Adpetitus exiguus, sitis, somnus inquietus. Vires ad deambulandum fractae, dyspnoea ad quosvis ingressus aucta. Instituta exploratione quum nullum graviditatis signum sese ostenderet, ad medelam pessimis licet sub auspiciis progrediebamur.

Paracenthesis abdominis, quam ob nimiam huius extensionem aliqui forsan indicatam putarunt, nobis ob aegrotae debilitatem, morbi diuturnitatem, ortamque exinde opinionem, vitia organica, obdurationes et obstructiones viscerum adesse, contraindicata videbatur. Propinavimus igitur remedia solummodo diuretica roborantibus iuncta:

℞. Lichen. island.
Pulv. rad. polyg. amar. aa. Unc. dimid.
coq. cum aq. font. Unc. duodecim ad rem. Unc. octo. Col. adde
Mell. depur. Unc. dimid.
MDS. Capiat omni bihorio cochlearia duo.

℞. Pulv. rad. squillae Gr. duo.
— — cal. arom. Scrup. dimid.
— — liquirit. Scrup. unum.
M. D. doses Nro duodecim.
S. Capiat omni trihorio dosin unam.

Pro victu portio prima vel quadrans, et pro potu vinum aqua dilutum.

Die 30ma et 31ma Iulii morbus eandem, ut antea, praebuit faciem.

Die 1ma Augusti. Difficultas respirationis aucta, diarrhoea aquosa. Ordinantur inter usum remediorum initio praescriptorum Laud. liq. Syd. guttae decem ter de die sumendae et linimentum volatile ad frictionem abdominis.

Die 2da ad 8vam ſymptomata ſupra allata augebantur. Intumeſcentia abdominis et pedum increſcebat. Die 8va ordinavimus, remediis hucusque omnino nihil efficientibus, ſequens infuſum:

℞. Fol. digit. purp. Dr. duas.
inf. cum aq. font. ferv. Unc. ſeptem.
Col. adde
Mell. depur. Unc. dimid.
MDS. Capiat alternatim cum priore mixtura omni bihorio cochlearia duo.

Die 9na et 10ma omnia adhuc in ſtatu priſtino. Secretio urinae non aucta, urina rubra et parca.

Die 11ma. Omnia ſymptomata exacerbata. Conqueritur aegra de repletione ventriculi poſt ingestionem praecipue fluidorum, evomit ingeſta, nauſeatque omnia medicamenta.

Die 12ma. Reſpiratio difficillima, decubitus in utroque latere pene impoſſibilis, ſitus corporis erectus, pulſus tardus et debilis, partes corporis ſuperiores frigidae. Cetera eadem. Dedimus modo pulveres ex Squilla.

Die 13tia. Reſpiratio non adeo difficilis, ſecretio urinae ſolito auctior, pulſus intermittens.

Die 14ta ad 16tam. Symptomata omnia erant imminuta. Abdomen nec adeo tumidum nec tenſum, decubitus in latere dextro facilior, ſecretio urinae rubrae auctior.

Die 17ma. Omnia peiora. Secretio urinae imminuta; partes corporis ſuperiores frigidae; pulſus rarus et debilis; reſpiratio difficillima, anxietas, nox inſomnis, adpetitus proſtratus, vomiturítiones, ſitus corporis in decubitu erectus, abdomen valde tumidum et tenſum, ut prioribus diebus. Medicamina et Diaeta eadem.

Die 18va. Per noctem quieta dormivit, ſumtis ante ſomnum Laud. liq. Sydenh. guttis octodecim. Per diem multo melius ſeſe habere adfirmat. Reſpiratio non adeo difficilis. Cetera eadem.

Die 19na. Omnia ut heri.

Die 20ma. Nox inquieta. Reſpirationis difficultas per noctem aucta, de die imminuta. Abdomen maxime tumidum et tenſum.

Die 21ma. Omnia ſymptomata aucta. Reſpiratio difficilior, decubitus impoſſibilis.

Die 22da. Nox inſomnis; reſpiratio laborioſiſſima et ſtertoroſa; tuſſicula ſicca; ſumma anxietas. Mane reperimus corporis habitum colliqueſcentem, oculos collapſos, faciem hippocraticam, ſummam virium proſtrationem, cordis palpitationem, nullum in carpo pulſum, faciem et extremitates frigidas, animi deliquia, oedema pedum, abdomen ſub adtactu durum, exhibens inſimul aquarum contentarum fluctuationem: et in hoc ſtatu miſera ſummas inter anxietates ſubito ſuffocata periit.

Sectio cadaveris.

Integumentis, muſculis abdominalibus et peritonaeo diſſectis, membrana quaedam albicans, perdenſa, peritonaeo accreta oculis noſtris ſe obtulit, quae tantae fuit extenſionis, ut omnia fere inteſtina obtegeret. In regione epigaſtrica, umbilicali et hypogaſtrica digitorum ope membrana haec facile a peritonaeo ſeparari potuit, ad latera vero, nempe ad regiones hypochondriacas, iliacas, inguinales et ad partem ſuperiorem regionis epigaſtricae peritonaeo tenaciter fuit accreta.

Inciſa hac membrana materies quaedam flava, pellucida, vere gelatinoſa, nullius odoris ac tantae conſiſtentiae profiluit, ut in molem quandam

coacervata et accumulata non defluxerit. Remota hac membrana magnam huius materiei quantitatem in cavum abdominis effusae ac omnia inteſtina obducentis invenimus.

Cavum abdominis, ut facile patet, hac materia infarctum naturali magis extenſum fuit, et diaphragma ita in thoracis cavum protruſum, ut thoracem ad dimidiam partem et ultra anguſtaret.

Ventriculus naturalis, niſi quod eius membranae craſſiores, quam in ſtatu ſano, eſſent.

Omentum maius et minus adipe deſtitutum, marcidum et undique materia illa gelatinoſa obductum inveniebatur.

Hepar colore pallidius et ſitu ſublimiore reconditum quaſi ſecanti cernebatur.

Veſicula fellea bile multa citrina referta.

Splen colore pallidior, interna ſubſtantia laxior.

Inteſtinum ieiunum ad latus ſiniſtrum abdominis lurido colore et ſubſtantia quaſi marcida a ſtatu naturali recedebat. Ad latus dextrum color huius inteſtini naturalis.

In inteſtino ileo variae coarctationes haud magni ambitus cernebantur.

Glandulae meſeraicae tumidae quidem, at omnino non durae.

Porro ablata membrana ſupra deſcripta alia oculis noſtris ſe obtulit, aſt multo denſior, eodem modo ſuis marginibus ſuperioribus peritonaeo tenaciter accreta: inferior autem margo rotundus, ac ſuperficies anterior ab omni accretione libera fuit.

Haec membrana conſtituit parietem anteriorem tumoris cuiusdam novem pollices longi octoque lati, albicantis, inaequalis, ex pelvis cavitate protuberantis, atque regionem hypogaſtricam dextram maximamque regionis umbilicalis partem adimplen-

tis. Tumor ipſe, multis ac variis folliculis materiam ſupra deſcriptam gelatinoſam continentibus diviſus, ſiſtebat in parte inferiore tubam Fallopianam dextram muſculo pſoae ac ipſi tumori accretam, et ita prominentem, ut tranſcenderet pelvis cavitatem. Ovarium nullum obſervavimus, ſed tumor ipſe conſtituebat illud, ut ex Tab. I. adparet.

Tubam Fallopianam ſiniſtram et ovarium in ſtatu naturali deprehendimus.

Uterus naturali quidem adparebat ſtructura, aſt extenſione et pondere tumoris corpus eius ad dextram pelvis regionem elevabatur, quo ſitum obliquum admiſit ita, ut fundus eius ſiniſtrum latus occuparet; paries tumoris poſterior ſeu ovarii degenerati membrana maxima ex parte carebat, quo folliculi ac materies gelatinoſa contenta magis patebant; folliculi alii fuere clauſi, ac muſculo pſoae ipſa membrana, qua obteguntur, paſſim leniter accreti. Hinc ſuperficies poſterior, ut ex Tab. II. patet, ſcabroſa ac inaequalis.

Exemtis poſtmodum tumore, utero et omnibus ad eum pertinentibus partibus, ac illis ſubtiliter indagatis clarius adparuit, ut Tab. I. refert, ovarium in tantum tumorem degeneraſſe, et morbum hunc hydropem ovarii dextri eſſe adpellandum, atque ob inſolitam in tumore contentam materiem rarum ac peculiarem. Tota enim ovarii ſubſtantia omnino deſtructa in tumorem quaſi membrana albeſcente pellucida clauſum, atque pluribus folliculis materiem gelatinoſam continentibus diviſum, mutata fuit.

Membrana folliculos conſtituens ipſa tam pellucida et tenuis fuit, ut adſpicientibus latens gelatina facile adpareret. Folliculi autem variae fuerunt magnitudinis, ad unum, tres quatuorve pollices,

quorum alii perfecte clausi erant, alii per hiantia interna orificia inter se communicabant.

Ovarium hoc degeneratum cum utero ac tubis Fallopianis et ovario sinistro ponderis libras quatuor et dimidiam, materies vero collecta in cavo abdominis libras novemdecim et dimidiam habuit.

Secto thorace et cranio nihil praeter angustum thoracis spatium a situ naturali aberrantis inveniebatur.

Subiecimus porro examini chemico materiam illam densam flavam, pellucidam ac gelatinosam, et eadem invenimus phaenomena, quae in chemica seri sanguinis disquisitione adparere solent.

Explicatio

Tab. III.

A.A.A. Superficies anterior ovarii degenerati.

a.a,a. Margo anterior cum peritonaeo ac membrana, quae tumorem obtegebat, concretus, nunc scalpelli beneficio separatus.

b.b.b. Parietes, qui folliculos constituunt, tumore pellucido oculis iam patent, ut praeter adsignatos plures videre licet.

c.c.c. Folliculi clausi materia gelatinosa repleti ac in tumores elevati.

d.d.d. Folliculi rupti, ex quibus materies gelatinosa fluxit.

e.e. Uterus.

f.f. Tuba Fallopiana.

g. Ovarium sinistrum.

Tab. IV.

B.B.B. Superficies posterior ovarii degenerati.

h.h.h. Margo folliculi aperti, qui musculo psoae accretus fuit.

i.i.i. Parietes folliculorum membrana posteriore non tectorum et materiem gelatinosam continentium.

k.k.k. Folliculi adhuc clausi.

Epicrisis.

Valde probabile est, hydropem hunc ovarii plures annos in abdomine latuisse, ac vehementi nisu in levanda non exigui ponderis mole ovarium hydropicum esse disruptum, quo dein materies gelatinosa contenta effluxit. Ut enim in quovis morbo hydropico, ita et in peculiari hac ovarii hydropici specie, evacuato, qui continebatur, humore, secretio materiei augebatur, indeque rupta membrana folliculos ovarii degenerati claudente oriebatur maior materiae huius gelatinosae effusio, qua tandem abdomen adeo intumuit, ut ascitis speciem praeberet.

Confirmant adsertam veritatem menstrua ex initio iam dolorifica et irregularia; strepitus, quem aegra in dextro latere post molis cuiusdam levationem sensit, et quem dolor in eodem loco subito subsecutus est; porro abdominis tumor sensim exsurgens; denique et membrana dissectis integumentis communibus inventa, intestina omnia obducens, ac ovarium hydropicum ipsum, cuius superficies posterior membrana caruit, margine tantum superiore cum eadem membrana concretum. Videtur nempe ea membrana, quae dissecto abdomine adparuit, eadem fuisse, quae posteriorem ovarii nondum disrupti superficiem maxima saltem ex parte obtegebat, ruptoque ovario vi adfluentis materiae gelatinosae e loco suo sueto in illum dimovebatur, ubi secto abdomine postmodum inventa est. Hinc et facile intelliges, quare cum margine ovarii degenerati superiore haec membrana concreta fuerit.

Ast quomodo arctam eiusdem membranae cohaesionem cum peritonaeo explicabis? An ex levibus inflammationibus disrupto ovario saepius ortis? Coniectura est. Ex historia porro elucet,

quam arduum ſit, de natura huius morbi certi quidquam ſtabilire. Unde oriuntur vitia eiusmodi localia? an ſunt connata, an adquiſita? Quid requiritur, ut tale vitium generetur, et quaenam debet eſſe corporis et partis morboſae antea conditio? Ex vitae huius aegrae decurſu, quem illa, ut facile coniicies, iuxta mediocre ingenium ſuum ad minutias deſcribere neſcivit, praecipue quum huius generis homines ad valetudinem ſuam minus adtendant, nihil omnino pateſcit, quod quaeſtionibus ſatisfacere poſſit. Id tantum enarrat, ſe vitam miſerrimam, inter varias calamitates, labores, inedias, refrigeria perpeſſam eſſe, quibus corpus humanum in debilitatem delabi, ac omnes morbos ex ea provenientes nanciſci debuit. Hinc mirum non eſt, ſi et aſcite laboraverit, quem antecedentibus et praeſentibus phaenomenis, praeſertim fluctuatione aquarum in abdomine contentarum adtactu percepta talem declaravimus. In eo ſtadio, quo noſodochium adiit, iudicium de natura ac ortu morbi difficile fuit, forſan minus arduum, ſi ante perceptam ovarii ruptionem aegra valetudinis ſtatum Medico cuidam detexiſſet, isque eam penitus examinaſſet. Quamvis vero naturam et ortum primarii morbi, ovarii nempe hydropici, illuſtrare, et accuratius evolvere non poſſimus, eaque inter obſcura remittere ſimus coacti, ex hiſtoria tamen noſtra elucebit, quam cautos nos eſſe oporteat in formanda diagnoſi. Noſtro in caſu omnia aſcitis phaenomena et cauſae adfuere, et ne guttulam quidem aquae continebat abdominis cavum. Et quid Medicus ſignis ſeductus, et ſi aegrae vires viguiſſent, in hoc caſu ab operatione paracentheſeos exſpectare potuiſſet?

Eberhardt.

Convulſiones muſculorum faciei cum brachii ſiniſtri pareſi.

Margaretha Kaiſer, Wollbacenſis, 42 annos nata, corpore ſat valido et a prima iam iuventute laboribus agreſtibus dedita valetudine ſemper gaugebat optima, morbo nullo turbata. Per duodecim maritata annos quatuor peperit infantes. Coniuge ante annum et ſex menſes mortuo quum vidua vendendis cibariis aliisque difficilibus admodum laboribus victum quaereret, omnibus tempeſtatis calamitatibus variisque miſeriis expoſita vitam vivebat triſtiſſimam, multoque moerore conficiebatur ob rerum domeſticarum penuriam, quae ex mariti morte in dies magis adfligere coepit. Menſtruatio a 20mo aetatis anno ſemper regularis circiter undecim abhinc menſibus diuturna tamque copioſa ſequebatur, ut ſemper per octo ſaltem dies integros continuaret. Quo factum eſt, ut opportunitas aſthenica de die in diem creſceret, et mox, ut ex ſequentibus patet, in morbum verum transiret.

Die 23tia huius menſis variis rebus venalibus onuſta iter fecit in urbem quatuordecim milliaria a domicilio remotam. In via perquam difficili, ſolis expoſita radiis, omni cibo potuque caruit, et menſtruationem ſolito copioſiorem paſſa eſt. Defatigata tandem et debilis in urbem venit,ubi in domo quadam aquae frigidae potum hauſit. Mox dein infirmitatem ſenſit, et paulo poſt in veram lipothymiam incidit, qua remediis omnibus licet adhibitis non potuit reſuſcitari. Refectae tandem poſt quinque horas maxilla inferior motum edebat tremulum et convulſivum. Aderat ſimul pareſis brachii ſiniſtri, quod nullo modo poterat movere. Medicus advocatus ad ambo brachia veſicatorium et infuſum Valerianae cum camphora ordinavit. Talis fuit per

totam eam diem noctemque conditio, quin ulla morbi imminutio notabilis consecuta sit. Altera die in nosocomium aegra recipitur, ubi vidimus convulsiones maxillae per intervalla brevia redeuntes modo supra descripto. Praeter perfectam sinistri brachii immobilitatem aderant artuum magna lassitudo, occupatio capitis, vertigo, aurium susurrus, respiratio difficilis, pulsus frequens, debilis ac parvus. Ordinavimus:

℞. Pulv. rad. Valer. Unc. semis.
infund. cum aq. ferv. Unc. octo.
Col. adde
Camph. cum mucil. gum. arab. q. s. subact.
Scrup. unum.
Mell. opt. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

Diaetam plenam, vinum aqua dilutum.

Vespere. Brachii immobilitas parum imminuta, verum convulsiones et tremulus ille motus maxillae non amplius observantur, nisi quod hic in collo circa laryngem cum sensu intensivo ac pressorio sese exserat, huius musculos praecipue vexans. Pulsus elevatior et tardior.

Die 25ta. Motus ille musculorum circa laryngem per magna modo intervalla rediit. Brachium fuit mobilius. Pulsus fere in statu sano notabilisque symptomatum supra descriptorum remissio. Ordinatur:

℞. Pulv. rad. Valer. Unc. semis.
inf. cum aq. ferv. Unc. octo.
Col. adde
Liq. anod. miner. Hofm. Dr. semis.
Mell. optim. Unc. unam.
MDS. ut prius.

Diaeta eadem.

Die 26ta. Brachii movendi facultas maior. Motus convulſivi remiſſio notabilis. Praeſcribitur:

℞. Extr. cort. peruv. Dr. unam.
ſolv. in infuſ. Valer. Unc. octo. Adde
Liq. anod. miner. Hoſm. Dr. ſemis.
Mell. optim. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochl. duo.

Pro diaeta portio dimidia et vinum.

Continuato huius remedii uſu contractiones convulſivae circa laryngem et brachii pareſis omnino ceſſarunt, viribusque reſtauratis aegra die 1ma Septembris ſana noſocomio exceſſit.

Heller.

Febris nervoſa.

I.

Martinus Lorenz, ex Marchionatu Badenſi, 20 annos natus, corporis habitum referens gracilem marcidumque, colli longi, thoracis plani ſcapularumque retroproeminentium, praeter morbos infantiles usque ad 19num aetatis annum benigna ſemper gaudebat ſanitate. Eo vero anno potentiae nocentis inſcius pectoris oppreſſione, reſpirationis difficultare tuſſique ſicca corripiebatur, quae ſymptomata adhibitis quibusdam medicamentis disparuere.

Ex eo tempore ſaepius ſanguinem rutilum praecipue tempore matutino tuſſi eiecit, quo factum eſt, ut maior corpori debilitas induceretur. 30ma Iulii quum cereviſiae atque vini nimiam copiam ingurgitaſſet, paulo poſt corripitur frigore corporis univerſali, cephalaea, artuum laſſitudine, ſubſequente calore corporis aucto, ſiti aucta, reſpiratione difficili, quibus ſymptomatibus ſudor denique

largus finem dedit. 31ma Iulii bene se habuit. Sub vesperum 1mae Augusti eadem symptomata ingruunt, eundem, ut 30ma Iulii, decursum observantia. Die 2da Augusti eadem symptomata eademque eorum vehementia: ast tantum abfuit, ut cessarent, ut potius insisterent, quin immo adpetitus deiectio, aurium susurrus, dolor in regione hypogastrica gravativus et somnolentia accederent. Arcessitus Medicus medicamina, ut aiunt, diaphoretica et leniter excitantia proposuit. Nullum ex medicaminum usu levamen hauriens congruoque destitutus vitae regimine die 7ma Augusti in nosocomium recipitur. Queritur de cephalalgia, vertigine, aurium susurru, oculorum scintillis, anorexia, vomituritione, siti magna, dolore in regione hypogastrica gravativo, et summa virium prostratione. Pallet facies, lingua sicca et muco albescente obducta, cutis arida, pulsus frequens, parvus et debilis, respiratio difficilis, alvus aperta, urina parca et rubra. Ordinatur:

℞. Pulv. rad. Valer. Unc. dimid.
inf. cum aq. ferv. Unc. octo.
Col. adde
Extr. cort. peruv. Dr. duas.
Liq. anod. miner. Hof. Dr. unam.
Mell. puriss. Unc. unam.
MDS. Sumat omni hora Unc. dimid.

Pro potu habeat decoctum altheae.
Diaeta iusculum carnis.

Vespere. Symptomatum exacerbatio.

Die 8va. Aeger non dormivit. Eadem symptomata. Repetatur mixtura. Sinapismi ad plantas pedum. Diaeta eadem.

Vespere. Exacerbatio nulla.

Die 9na. Nocte placidius dormivit. Cephalal-

gia fere nulla, adpetitus melior, lingua humida, dolor in regione hypogaſtrica minutus, reſpiratio liberior, pulſus parvus et debilis, at frequentia minor; madeſcit cutis; alvus aperta, urina cruda et rubra. Repetatur mixtura. Diaeta magis nutriens. Quarta vini generoſi menſurae pars.

Veſpere. Parva ſymptomatum exacerbatio.

Die 10ma. Nocte quievit. Symptomata eadem, ut 9na. Repetatur mixtura. Diaeta eadem.

Veſpere. Nulla exacerbatio.

Die 11ma. Nocte quievit. Cephalalgia, aurium ſuſurrus, vertigo, dolor in regione hypogaſtrica fere nullus, aliquis adpetitus, ſitis modica, lingua humida, pulſus plenus et modice frequens, reſpiratio libera, cutis humida, alvus et urina naturalis. Repetatur mixtura. Diaeta eadem.

Veſpere. Exacerbatio.

Die 12ma. Bene aeger dormivit. Omnia ſymptomata mitiora, pulſus pene naturalis. Repetatur mixtura. Diaeta eadem.

Veſpere. Exacerbatio nulla.

Die 13tia. Bene aeger dormivit. Praeter corporis laſſitudinem omnes functiones integrae. Ordinatur:

℞. Decoct. cort. peruv. ſaturatiſſ. Unc. octo.
Mell. puriſſ. Unc. unam.
MDS. Sumat omni bihorio duo cochl.

Diaeta animalis.

Die 14ta. Omnes functiones integrae; accuſat tamen dolorem in regione hypogaſtrica preſſorium. Repetatur mixtura. Diaeta ut 13tia.

Die 15ta. Eadem conditio, ut heri. Repetatur mixtura. Diaeta eadem.

Die 16ta. Omnes functiones in ſtatu ſano. Evanuit dolor, queritur tamen aeger de ſumma virium proſtratione. Praeſcribitur:

℞. Decoct. cort. peruv. Unc. octo.
Ext. amar. Dr. unam.
Naphth. vitriol. Scrup. duos.
Mell. puriſſ. Unc. unam.
MDS. Sumat omni hora cochl. duo.
Diaeta animalis.

Die 17ma. Eadem conditio, ut 16ta. Repetatur mixtura. Diaeta eadem.

Die 18va. Status idem. Repetatur mixtura. Diaeta eadem.

Die 19na. Aeger vires corporis reſtauratas ſentit et ceteras functiones integras.

Medicamentis hisce usque ad 23tiam Auguſti continuatis, conceſſo lautiore cibo et dimidia menſurae vini parte, omnino reſtitutus cum pleno virium vigore noſocomium deſeruit.

Kuhlmann.

II.

Apollonia Gundelmann, Wirceburgenſis, 26 annos nata, ancilla, quoad corporis conſtitutionem ſat valida, praeter morbos infantiles nullo alio detenta morbo, benigna ſemper, ſi exceperis copioſum ſanguinis menſtrui fluxum, fruebatur ſanitate.

Die 1ma Auguſti quum magnam butyri, caſei prunorumque copiam comediſſet, multamque ſimul ingurgitaſſet aquam, corripitur nauſea, praecordiorum preſſione et abdominis intumeſcentia. Paucis poſt diebus adſociantur hisce ſymptomatibus vomituritio, dolores in regione hypogaſtrica gravativi, cephalalgia, alvi obſtructio, horripilatio, ſitis multa, ita, ut ad veſperum horum ſymptomatum exacerbatio obſervaretur. Arceſſitus Medicus

emeticum exhibuit, quo vomitum biliofum materie corrupta mixtum civit. Haud ita multo poft accedit diarrhoea vires corporis valde frangens, quam adhibita, nefcio quae, medicamina nullo modo inhibuerunt. Confugit aegra ad nofocomium. Recepta die 8va Augufti queritur de fumma corporis debilitate, cephalalgia, vertigine, aurium fufurru, naufea, vomituritione, fiti vehemente, dolore pungente et gravativo in regione hypogaftrica, doloribusque artuum lancinantibus. Genae rubrae, labium inferius tremulum, lingua humida pura, fapor oris ingratus et amarus, refpiratio frequens et difficilis, pulfus frequens, parvus et debilis, abdomen tumidum, calor corporis auctus, cutis arida, alvi fluxus biliofus et valde foetens, urina flavefcens, inquietudo et vigiliae. Ordinatur:

℞. Pulv. rad. Valer. Unc. dimid.
inf.. cum aq. ferv. Unc. fex.
ftet in digeft. tepid. per quadr. horae.
Col. adde
Extr. cort. peruv. Dr. unam.
Liq. anod. miner. Hofm. Scrup. duos.
Syrup. diacod. Unc. unam.
MDS. Sumat omni hora cochlearia duo.

Pro potu decoctum ordinarium. Diaeta tenuis cum vino.

Vefpere. Exacerbatio. Ordinatur:

℞. Opii puri
Pulv. rad. Ipecacuanh. aa. Gr. dimid.
Sacch. albi Gr. quindecim.
M. f. pulvis. S. Vefpere fumendus.

Die 9na. Nox inquieta. Eadem fere fymptomata: aft vomituritio et diarrhoea filent, atque dolor in regione hypogaftrica imminutus. Repetatur mixtura et Diaeta.

Vespere. Exacerbatio cum frigore universi corporis per dimidiam horam durante. Repetatur pulvis hesternus.

Die 10ma. Per noctem deliravit. Accedunt subsultus tendinum; facies valde rubet; oculi lacrymis fulgent; lingua sicca, pulsus frequentior, parvus et debilis; abdomen tumidum ab adtactu dolet; cutis arescit; calor mordax. Alvi excretio una, eaque foetidissima. Urina turbida. Repetatur mixtura. Ordinatur:

℞. Camph. Gr. tria.
Sacch. albi Gr. quindecim.
M. f. pulv. dent. tal. doses sex.
S. Sumat omni bihorio alternatim cum mixtura dosin unam.

Adplicentur sinapismi ad suras. Diaeta eadem.

Vespere. Aliqua exacerbatio.

Die 11ma. Per noctem deliria nulla; subsultus tendinum disparuere, insistunt tamen vertigo, cephalalgia, aurium susurrus. Oculi genaeque valde rubent. Lingua humida, sitis multa, adpetitus nullus, respiratio difficilis et frequens, pulsus frequens, parvus atque debilis, abdomen molle sub adtactu non dolens, cutis arida. Alvi excretio unica. Summa virium prostratio. Ordinatur:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. unam.
coq. cum aq. font. libra una ad reman. Unc. septem. Col. In Colat. dissolve
Extr. cort. peruv. Dr. unam et dimid. Adde
Naphth. vitriol. Dr. unam.
Syrup. cort. aurant. Unc. unam.
MDS. Sumat omni bihorio cochlearia duo.

Repetatur pulvis ex camphora. Adplicetur vesicans ad nucham. Diaeta eadem.

Vespere. Exacerbatio nulla.

Die 12ma. Nox tranquillior. Vertigo et cephalalgia imminuta; facies pallet; lingua humida, fitis multa, adpetitus nullus, refpiratio frequens, aft minus laboriofa, pulfus frequens et parvus. Cutis madefcit; abdomen molle, non dolens; alvus femel mota; urina cruda. Repet. mixtura et pulvis.

Vefpere. Exacerbatio aliqua.

Die 13tia. Aegra dormivit. Queritur de cephalalgia, at nec de vertigine nec aurium fufurru. Sitis fere nulla; adpetit; lingua muco albefcente obducta et humida. Refpiratio liberior, pulfus parum frequens et fere plenus, abdomen molle; cutis madefcit; alvus naturalis; urina turbida. Repetatur mixtura, ut die 11ma. Pulveres ex camphora feponantur. Diaeta tenuis cum vino.

Vefpere. Exacerbatio nulla.

Die 14ta. Aegra nocte quievit. Omnia fymptomata in melius vergunt: aft ingruit diarrhoea vires fractas magis infringens. Repetatur mixtura, et habeat ter de die decem guttas Laud. liq. Sydenh.

Vefpere. Aliqua fymptomatum exacerbatio.

Die 15ta. Dormivit aegra. Diarrhoea filet; cephalalgia disparuit; lingua humida, adpetitus bonus, fitis nulla, refpiratio libera, pulfus modice frequens et plenus, cutis mador. Alvus femel mota, urina turbida. Ordinatur:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. unam.
coq. cum aq. font. libra una ad remanent.
Unc. feptem. Col. adde
Aquae cinam. c. v.
Syrup. cort. aurant. aa. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

Pro diaeta portio quadrans, ac quarta vini generofi menfurae pars.

Vefpere. Exacerbatio nulla.

Die 16ta. Per noctem aegra dormivit, nec queritur nisi de corporis debilitate. Omnes functiones integrae. Repetatur mixtura, uti die 15ta. Diaeta eadem.

Die 17ma. Aegra bene sese habet. Repetatur mixtura et Diaeta eadem.

Sic continuata usque ad diem 21mam mixtura, concessis dein lautiore cibo maioreque vini dosi, in integrum restituta die 27ma Augusti nosocomio excessit.

Billing.

III.

Ioannes Geissler, Grossostheimensis, Coriarius, 19 annos natus, laxo corporis habitu, ceterum continuo illaesa sanitate usus, quatuordecim abhinc diebus, leni febris impetu adflictus, auxilia medica quaesivit. Per sex hebdomadas fecerat itinera: unde ob varias potentias nocentes, climatis mutationem, cibi potusque varietatem, multiplicem tempestatis vicissitudinem, morbi opportunitatem adquisivit. Accedit, quod et multum et pluries aestuante corpore potaverit, in cubiculo mox humido mox aeri perflanti exposito dormiverit, et maxima ex parte fruitus sit cibis crudis ex farina et leguminibus paratis. Haec omnia tandem continuato influxu corporis oeconomiam turbavere, ut symptomata memoranda declarabunt.

Huius morbi initio conquerebatur aeger de doloribus rheumaticis, cephalalgia, vertigine, susurru et tinnitu aurium, insomniis corpus et animum deterentibus, ructu amaro, adpetitu prostrato, lingua muco flavo onusta, anorexia, vomituritione, siti vehemente, aestu continuo per noctem, quem largus sudor excepit, totius corporis lassitudine, vi-

riumque prostratione. Pulsus celer, frequens et debilis; facies pallida; oris anguli flavo tincti colore; facies lugubris; oculi retrusi livido tincti. Ad depellenda symptomata medicamentum catharticum alvi deiectiones et vomitus movens sumsit, quo febris et omnia symptomata acuebantur. Quapropter ad nosocomium confugit, in quod 28va Iulii receptus est. Ordinatur:

℞. Pulv. rad. Valer. Unc. dimid.
inf. cum aq. ferv. Unc. octo.
Col. adde
Liq. anod. miner. Hofm. Dr. unam.
Syrup. cort. aurant. Unc. unam.
MDS. Omni hora cochlear unum.

Diaeta tenuis cum vino. Pro potu vinum aqua dilutum.

Die 29na Iulii. Nox fuit quieta, et aeger maxime queritur de artuum lassitudine, calore per noctem, quem sudor largus subsequebatur. Pulsus debilis, parvus et frequens. Ordinatur:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. unam.
coq. cum. aq. font. Unc. sedecim ad remanent. Unc. octo.
Col. In Colat. dissolve
Extr. amar. Dr. unam et dimid. Adde
Liq. anod. miner. Hofm. Scrup. duos.
Mell. puriss. Unc. unam.
MDS. Omni hora cochlear unum.

Die 30ma Iulii. Nox quieta. Sub luce aeger paululum sudavit. Reliqua eadem.

Die 31ma Iulii. Conditio eadem.

A die 1ma Augusti ad 7mam idem rerum status. Febris continuat; versus vesperum exacerbatio notabilis, minor virium prostratio. Ordinatur:

℞. Pulv. rad. Valer. Unc. dimid.
inf. cum aq. ferv. Unc. octo.
Col. In Colat. dissolve
Extr. cort. peruv. Dr. duas. Adde
Laud. liq. Sydenh. Scrup. duos.
Mell. puriss. Unc. unam.
MDS. Omni hora cochlear unum.

℞. Camph. cum sp. vini tritae Gr. duo.
Sacch. albi Gr. decem.
M. f. pulv. dent. tal. dos. Nro sex.
DS. Omni trihorio pulvis unus.

Diaeta, ut sub initio.

Die 7ma. Maxima noctis pars quieta. Mane aeger sudorem totum corpus occupantem cum multo levamine habuit; caput minus occupatum, adpetitus fere restitutus, prostratio virium imminuta, febris vehementia eadem, pulsus semper frequens, parvus et debilis. Medicina eadem.

Vespere. Lenis exacerbatio. Reliqua eadem.

Talis erat rerum conditio usque ad diem 11mam. Febris sine multo levamine continuavit. Tam febris, quam cetera symptomata vehementiora. Ordinatur aegro, ut capiat omni bihorio pulverem unum ex camphora, et mixturam die 1ma praescriptam. Imponuntur simul suris sinapismi. Diaeta eadem.

A die 12ma usque ad 16tam. Remisit vehementia febris; laesae digestionis symptomata evanuere; caput liberum, revertere vires, alvus et urina naturalis. Mane aeger semper largum sudorem cum quodam levamine habuit. Continuantur medicamina.

Die 16ta. Nox quieta sub largo sudore, pulsus et functiones omnes fere integrae. Nulla febris exacerbatio adparuit: restat modo vertigo cum sensu

nebulae ob oculos haerentis. Camphora omittitur, et praeſcribitur:

℞. Decoct. cort. peruv. ſatur. Unc. octo.
Mell. puriſſ. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlear unum.

Ponitur inter ſcapulas veſicatorium.

A die 17ma usque ad 26tam. Nebula ante oculos magis magisque evaneſcere coepit. Cetera in ſtatu ſano. Medicina omittitur. Pro victu portio dimidia cum menſura vini generoſi dimidia.

Die 26ta. Nox inſomnis. Queritur aeger de torminibus in abdomine, proſtrato adpetitu, diarrhoea vehehementi. Pulſus parvus et debilis, ceterum naturalis. Ordinatur:

℞. Decoct. cort. chinae ſatur. Unc. octo.
Tinct. thebaic. Scrup. duos.
Liq. anod. miner. Hofm. Dr. unam.
Mell. puriſſ. Unc. unam.
MDS. Omni hora cochlear unum.

Die 27ma. Nox quieta. Diarrhoea ceſſavit. Omnes functiones integrae.

A die 27ma ad 29nam. Per noctem aeger multum ſudavit. Levamen quidem adtulit ſudor, aſt valde foetidus et vapidus fuit. Functiones integras viresque reſtitutas aeger ſenſit. Ordinatur:

℞. Elixir. acid. Hall. Dr. duas.
S. Mane, meridie et veſpere guttas decem.

Continuato hoc remedio ſudor in dies remiſit; victuque animali bene nutritus aeger die 2da Septembris noſodochium dereliquit.

Kuhlmann.

SEPTEMBER.

Initio mensis frigida et ventosa tempestas, coelumque nubibus obvelatum. Dies 3tia calida et serena. 6ta et 7ma calidissima, nocte tonitrua. Ab 8va serena et calida. Die 11ma ad 13tiam ventus et pluviae. Die 14ta ad 20mam calida et amoena tempestas, mane nebulosa. Die 21ma pluvia. A 22da amoena et calida. Per noctem diei 25tae tonitrua. 26ta pluvia, ventosa. Die 30ma mane perfrigida, per diem calida ac ventosa tempestas.

Febres nervosae, quibus aegrotantes in instituto nostro clinico versantes passim decubuere, levioris indolis fuerunt, atque leniter excitantibus remediis facile cesserunt, neque per earum brevem decursum phaenomena graviora memoratu digna observavi. Maxima ex parte aegrotantes nostri laborabant adfectionibus chronicis, inter quas eminuit phthisis trachealis, cuius duo mox commemorabo exempla. Sequetur dein cephalalgiae periodicae historia.

Internam tracheae arteriae membranam ulceribus erodi, notum satis est. Iam Hippocrates eiusmodi adfectiones memorat, et Aetius profitetur, se multa huius generis ulcuscula circa laryngem sanasse. Ast laryngis et asperae arteriae exulcerationes, a quacunque proveniant causa, cum febre lenta iunctae, aut etiam per levioris gradus decursum sine febre progredientes, (morbum, quem phthisin trachealem nuncupamus,) tam facile sanari, iure dubito, quum morbo hoc non infrequente multos viderim consumtos, neque illius natura satis adhuc explorata sit. Aegri forsan negligunt primum huius morbi stadium seu initium, et Medici forsan initio consulti illum vel ut levioris indolis

tractant morbum, vel quum non dignoſcant morbum, ſuſpenſo maxime gradu incedentem, eum ita ut faucium morbum remediis facile cedere putant. Forſan et cauſae inducentes illum leviores ſunt, quae communiter non obſervantur, non curantur. Hinc morbi exempla raro perſcripta leguntur, illiusque naturam accuratius indagare Medicorum eo magis erit officium, quo plures hoc morbo miſerrime periiſſe conſtat.

Ad felicem curationis finem nanciſcendum omnis ars in eo vertitur, ut remediis efficacibus mali exſtinguamus ſcaturiginem. His enim neglectis tabi, quae omnem elidet artem, aeger ſuccumbet, atque phthiſin pulmonalem potius, quam optima medendi methodo trachealem exquiſitam ſanare auſim. Quo quidem morbo vexati licet divulgentur eſſe ſanati, dubitatur tamen, an ne poſt tempus aliquod in eundem relapſi tandemque conſumti ſint. Perrara mihi perfectae ſanationis exempla innoteſcunt, idque ne de aegris meis feliciter quidem ſanatis conſtat, quum expoſiti ſunt variis potentiis nocentibus in ipſam tracheam agentibus.

Remedia, quae prae aliis in hac exulceratione, a miaſmate ſpecifico ſic dicto non provocata, ſummam tulere opem, pro diverſis morbi ſtadiis ſequentia fuere. In initio morbi, dum febris obſervatur mitis vel nulla, quum querebatur aeger de levi deglutiendi impedimento, de faucium ſiccitate, de dolore in parte quadam aſperae arteriae ſeu laryngis fixo atque preſſorio in ſupina oſſis ſterni parte, de muco e larynge exſcreando, de difficili in deambulando reſpiratione, de reſpirationis clangore aut ſibilo, dum porro et leviores faucium et veli palatini obſervantur inflammationes, paſſim et leves exulcerationes, quae ulcerum tracheae arteriae

continuationes mihi videntur; optima fuere antimonialia, tartarus emeticus, sulphur auratum antimonii, kermes mineralis partitis ac fractis dosibus exhibita, porro mercurius dulcis, dein vapores tepidi inspirati, gargarismata ex decocto herbarum sic dictarum emollientium, denique frictiones mercuriales partis adfectae et vesicatoria collo adplicata, seu setaceum ad nuchas. Quae omnia etsi aliquibus in hoc leviori morbi stadio graviora videntur, omnino tamen non negligenda sunt. Morbus enim localis a topica debilitate indirecta ortus sub benignitatis larva pedetentim increscens, in altero vix, et in tertio ac ultimo stadio nunquam admittit medelam. Remedia debilitantia, venae sectiones, hirudines, purgantia semper nocent.

Increscente itaque febre sub lentescentis forma, aucto in trachea dolore, accedentibus muci purulenti exscreatione, passim et tussi, maioribus circa fauces exulcerationibus facile conspicuis, difficiliore deglutitione, voce exili seu clangosa, auxilium praestitere granum unum mercurii dulcis cum dimidio opii ter per diem exhibitum, per reliquum vero diei tempus decoctum lichenis islandici, passim et decoctum corticis peruviani, et allati vapores et inunctiones. Alii laudant pulveres sic dictos strumales, spongiam marinam ustam, circa quae mihi vero deest experientia.

Febre denique magis adaucta, increscente puris exscreatione, maiore deglutiendi difficultate, accedentibus ad adsumta fluida suffocatione, respiratione difficili, anxietate, tussi, corporis emaciatione, voce suppressa ac exilissima, decoctum corticis peruviani, polygalae senegae, lichenis islandici subinde opio iunctum ac diaeta nutriens prae reliquis optimos edidit effectus.

Ultimum vero ſi accedit ſtadium, ubi nempe diarrhoea, ſudores colliquativi et oedemata pedum inſtant, nulla quidem amplius exſpectanda ſanatio, opium tamen praecipuum eſt, quod varias mitigat aegri moleſtias.

Non pudet vero me fateri, morbi naturam ac indolem eiusque cauſas a me nondum ſatis exploratas eſſe: repetitae obſervationes et medicaminum experimenta forſan adhuc plura me docebunt, quae poſtmodum aliorum iudicio ac ſcrutinio proponam. Videtur autem morbus tracheae oriri a variis cauſis excitantibus, quae ſtimulo ſuo tracheam feriunt immediate, moxque debilitatem huius partis indirectam inducunt. Morbi vero ſedem eſſe iam ab initio in trachea, de qua alii dubitant, concludere licet ex exili ac clangóſa reſpiratione, fixoque dolore, quibus aeger in morbi ingreſſu ſtatim adficitur. Minus ergo probabilis eſt eorum ſententia, qui exulcerationes tracheae provenire ab ulceribus faucium putant, ſed potius faucium exulcerationes vel effectus ſunt phthiſis trachealis, vel ab una eademque cauſa eodemque tempore binae adfectiones ortum ſuum ducunt.

Phthiſis trachealis.

I.

Michael Stopani, ex lacu Como in regione Mediolanenſi natus, iuvenis 23 annorum, mercatoris famulus, habitus phthiſici, a iuventute iam frequentioribus refrigeriis ſeſe expoſuit. Exceptis aliquibus nodulis in cute colli paſſim adparentibus, quae tamen ſemper adhibitis frictionibus ſponte evanuere, nunquam vero morbo graviori adflictus fuit. Tempore bacchanalium, quae praeterlapſa hieme celebrata ſunt, quum vehementiſſime ſaltaſſet, ſu-

bitoque cerevisiam et vinum inter corporis exaestuationes ingurgitasset, hausta insuper nicotiana; confestim correptus est vehementissimis colli doloribus cum tonsillarum tumore ac febre. Huic anginae per aliquod tempus duranti se adsociabant febris, tussicula cum sputis puriformibus, respiratio molesta ac deglutiendi difficultas, ad quae profliganda Medicus consultus venae sectionem sat largam instituit. Qua quum vires valde deiicerentur, vesicans ad collum ordinatum est, quod aeger vero recusans adiit alium Medicum, qui praescripsit infusum Valerianae cum opio, gargarismata et similia. Viribus nihilo minus in dies magis prostratis atque febre increscente, 2da Iulii ad nosocomium aeger confugit. Die 3tia receptus conqueritur de doloribus colli partium internarum atque de molestiis inter deglutiendum. Fauces fuerunt inflammatae, siccae, et leves excoriationes passim in uvula ipsisque faucibus conspicuae. Dolorem vero maximum pressorium sensit in trachea arteria. Vocem edidit exilem, atque continuo exscreavit sine tussi sputa puriformia, et iuxta Grasmeyerum purulenta. Fuerunt et circa regionem ossis sterni pressio in pectore, respiratio anxia quovis motu difficilior, febris lenta, cuius exacerbatio ad vesperam incepit horripilationibus frequentioribus atque calore fugaci alternantibus, pulsus frequentes, exiles et debiles, frigidae extremitates, cutis per diem arida et sicca, per noctem sudatiunculae, corporis magna emaciatio, mox alvi segnities, mox diarrhoea. Praescripsimus:

℞. **Pulv. rad. Valer. sylv. Dr. tres.**
infund. aq. ferv. Unc. octo.
Col. Colat. adde

Spirit. Minderer. Unc. unam et ſemis.
Mell. optim. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.
℞. Spec. emoll. Manip. duos.
DS. pro gargariſmate.
℞. Infuſ. flor. chamom. Unc. octo.
DS. Pars dimidia pro clyſmate.

Pro diaeta portio quadrans, ac pro potu aqua parca quantitate vini mixta.

4ta Iulii. Omnia eadem. Praeſcribitur:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. unam.
coq. c. aq. font. Unc. ſedecim ad remanent. Unc. octo. Col. Colat. admiſce
Mell. depurat. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.
℞. Lichen. Island. Unc. tres.
Rad. liquirit.
— alth. aa. Unc. unam.
MDS. pro potu ordinario.

Veſpere. Pulſus magis fortis et frequens, totius corporis calor auctus.

5ta Iulii. Nox inſomnis, ſudatiunculae, vires proſtratae, pulſus valde debilis et frequens, deglutiendi difficultas, dolor tracheae inter deglutiendum auctus, puris exſcreatio. Cetera eadem, uti et ordinatio.

Veſpere. Febris exacerbatio, ab horripilatione incipiens, quem excepit calor per totum corpus urens, ſitis ingens, et ſudor per noctem.

6ta Iulii ad 13tiam usque. Omnia eadem, niſi quod dolores tracheae et febricula de die in diem magis increverint.

13tia Iulii. Sputis diminutis hora 7ma matutina accedit reliquis vomituritio, nauſea, vertigo, preſſio praecordiorum. Ipſum iuſculum carneum, quod

comederat, evomuit. Vexabatur decies diarrhoea aquofa cum tenefmo, qua vires valde profternebantur, et febris lenta augebatur. Ordinabatur praeter fupra allata medicamina fequens:

℞. Liq. anod. miner. Hofm. Dr. duas.
Tinct. thebaic. Dr. unam.
MDS. Omni trihorio guttae triginta in f.q. infuf. flor. chamomill. fumendae.

℞. Pulv. gumm. arab. vitell. ovor. f. q. trit. Unc. unam.
Infuf. flor. chamom. Unc. duodecim. Adde Laud. liquid. Sydenh. gutt. quadraginta.
Olei lini Dr. tres.
MDS. pro clyfmatibus ter de die alvo iniiciendis.

14ta Iulii. Diarrhoea evanuit. Reliqua eadem, ut et ordinatio.

A 15ta ad 27mam Iulii. Iisdem remediis continuatis eadem femper morbi conditio. Febris magis increfcit, fumma virium proftratio, pulfus frequentiffimus, paffim anxietates, auctus in trachea dolor, maior puris copia fine tuffi exfcreatur. Vox tam exilis, ut ab adftantibus vix percipi poffet. In faucibus leves paffim excoriationes augentur; vefpere febris fumma exacerbatio, nox infomnis, fudorifera, inquieta et anxia. Inter ambigua haec vitae fuae difcrimina, abfente omni luis fiphyliticae fufpicione, iam primo examine remota, ut excitans remedium inter ufum iam denominatorum ordinavimus externe frictiones mercuriales regioni colli adplicandas.

℞. Mercur. folub. Hahnemann. Dr. unam.
Axung. porcin. recent. Dr. tres.
MDS. Matutino tempore inungatur parva portio dimidiae partis nucis avelanae adinftar.

Continuatis hisce per 8 dies ſymptomata nota ſalivationis incepere, quin tamen morbus mutaretur. Abſtinuimus itaque a frictione, et continuavimus ſolummodo dicta remedia roborantia atque excitantia.

Aſt per totum menſem Auguſti et Septembris perduravit, immo aucta eſt febris. Acceſſit ſub finem morbi ſumma corporis emaciatio; genae ad veſperum febre exacerbante laete rubebant; calor cutis urens, tremores artuum, diarrhoea colliquativa, ſudatiunculae, oedema pedum. Augetur puris ſine tuſſi exſcreatio, vox exiliſſima, deglutitio omnino impedita, praeſertim hauſtu fluidorum, quem ſtatim ſequebatur tuſſis eius indolis, ac ſi guttulae fluidi quaedam in tracheam arteriam incidiſſent. Tandem ſequebantur ſumma virium proſtratio, pulſus exiliſſimi, frigus extremitatum, ſudatiunculae frigidae, et die 21ma Septembris mors. Continuavimus per hocce tempus decoctum corticis peruviani atque lichenis islandici, praetereaque omni mane ac veſpere ſequentem doſin porreximus:

℞. Opii puriſſ. Gr. ſemis.
Sacch. alb. Gr. decem.
M. f. pulvis.

Inſtante diarrhoea clyſmata ſupra allata adplicabantur, quae tamen illam in morbi fine neutiquam inhibuere.

Sectio cadaveris.

In collo remotis integumentis omnes fere glandulas lymphaticas utriusque lateris, ſiniſtri praeprimis, obduratas invenimus. In exploratione partium oris internarum exulcerationem ſiniſtram radicis linguae partem usque ad tubam Euſtachianam occupantem vidimus. Porro epiglottis ultra dimidiam partem exulceratione conſumta, ipſa vero

glottis omnis fere destructa fuit ac verucosa. Simili modo etiam ligamentum thyreo-arythenoideum superius sinistri lateris exulceratione destructum fuit. Ventriculus laryngis sinister in sinistra parte cute densa seu pseudomembrana repletus, omnes glandulae laryngis partim obduratae, partim exulceratae fuere. Parietem pharyngis internum iuxta rimam glottitis exulcerationes occuparunt, sic etiam in pariete postico pharyngis lateris sinistri supra velum palatinum ulcera detegimus. Glandulae bronchiales eius loci, ubi trachea arteria in bronchias abit, dimidio maiores, quam in statu sano, cinereique coloris erant. Aperto dein thorace utrumque pulmonum lobum in parte posteriori, magis autem dextrum, cum pleura concretum vidimus. Sic lobus superior pulmonis dextri cum mediastino concretus, et lobus sinister per ligamentum quasi cum eadem hac parte coniunctus fuit. In apice lobi dextri vomica erat ad trium pollicum longitudinem et sesqui latitudinem pure tenui ac foetido referta. Eiusdem fere amplitudinis vomicam continuit pulmo dexter, qui ceterum materia purulenta turgescebat, pluresque vomicae, licet minores, fuerunt in pulmone sinistro. In pericardio circiter octo uncias seri reperimus. Aperto cavo abdominali hepar solito maius, coloris vero ac consistentiae naturalis adparuit. In ceteris visceribus nil insoliti nisi glandulas meseraicas invenimus tumidas.

Tabulas aeneas arteriae tracheae nemo desiderabit, qui viderit illas, quas Bleuland, van Doevern et Sandifort excudi curabant. *)

Brandner.

*) Baillie l. c. pag. 49.

Phthiſis trachealis.

II.

Antonius Zipf, Eichenbühlanus, 33 annos natus, molitor, corporis habitu non adeo valido praeditus, ceterum nullo unquam morbo adflictus, die 25ta menſis Auguſti inter labores, quum ſcilicet ſaccos farina impletos ac dorſo impoſitos in granarium molae portaret, ſubito fallente veſtigio ex ſuperiori hoc aedium tabulato, ſcilicet ex altitudine circiter 24 pedum, in profundum delapſus eſt, ita ut corpus anterius, et medium quidem pectus vehementer in truncum ligneum eius loci illideretur. Initio ſemianimis per tria aut quatuor minuta humi decubuit, et refectus tandem per tres fere horas magna cum anxietate atque vehemente tuſſi notabilem eiecit ſanguinis primo floridi, poſt intervallum autem magis nigricantis ac grumoſi copiam, ſenſim ſenſimque minorem. Huic calamitati aeger nullum oppoſuit remedium, niſi quod caput pectusque lavaret aqua frigida. Mox autem dolorem animadvertit in medio pectore ab inſpiratione et adtactu valde auctum. Quo tamen quum poſt novem dies liberatus eſſet, ſanus et, ſi modicam laſſitudinem excipias, ſine omni moleſtia vixit. Verum enim vero aliud mox incommodum ipſi accidit: vox hucusque naturalis ita paulatim imminuta eſt, ut non amplius verba ſonora proferre, ſed ſuppreſſa modo et exili voce loqui poſſet. Opem medicam igitur in noſocomio quaeſivit, atque receptus die 15ta Septembris ne verbulum quidem voce ſonora edere valuit, ſputa viſcida et puriformia eiecit, atque tuſſi cruciatus fuit non adeo frequente, mox evanida, mox vero urgente. In faucibus ulcera tenuia, parva ac lardacea paſſim detegimus. Querebatur de laſſitudine artuum, corporis macie et modico colli circa

laryngem dolore, inter deglutiendum aucto. Digitis paulo vehementius laryngi admotis ſtrepitum quendam ac motum obſervavimus, quaſi cartilago aut ipſum os hyoideum fractum eſſet, et ex eodem motu procedente, tuſſin aeger percepit atque ſenſationem corporis cuiusdam heterogenei ibidem verſantis. Pulſum reperimus frequentem ac debilem, ceteras functiones integras, neque febris nec alia ſymptomata phthiſi pulmonali convenientia ſe prodiderunt. Sanguinis poſt lapſum violentum eiecti rationem ex vehemente pectoris concuſſione et e vaſorum rupturis inde ortis deducendam putamus. Hinc inflammationes topicas forſan in ipſa pulmonum ſubſtantia, in trachea arteria et in faucibus, ſuppuratione dein devaſtatis, ortas eſſe, quam maxime probabile videtur, quod etiam ſputis viſcidis puriformibus, dolore fixo topico in pectore atque laryngis regione, tuſſi et ulceribus denique fauces occupantibus maxime confirmatur. Vocis ſuppreſſio explicari facillime poteſt ex contuſſione in ipſis organis promota, quae vel deſtructionem nervorum ad vocis organon pertinentium, vel paralyſin eorum procreavit. Quaecunque autem ſit rerum conditio, eadem tamen ſemper erit indicatio excitandi. Hinc ſequentia praeſcripſimus:

℞. Extr. Hyoſciam. Gr. unum.
Sulph. aurant. antim. Gr. ſemis.
Sacch. alb. Scrup. unum.
M.f.pulv. d. p. doſi, et dent. tal. Nro duodecim.
S. Ter in die doſis una.

℞. Lichen. Island. Unc. tres.
Rad. liquirit. Unc. unam.
MDS. pro potu.

Diaetam leniter nutrientem, id eſt, portionem quadrantem, regimen modice calidum.

A die receptionis ad 18vam usque eadem ſymptomata. Praeter continnationem pulverum iam praeſcriptorum ordinavimus portionem cibi plenam cum vino aqua diluto et mixturam ſequentem:

℞. Decoct. cort. peruv. Unc. octo.
Mell. optim. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

Continuavimus usque ad diem 24tam, quin tamen ulla conſecuta ſit mutatio. Ordinavimus ergo veſicans collo imponendum, et

℞. Flor. arnic. Dr. tres.
infund. cum aq. ferv. Unc. octo.
Col. In Colat. ſolve
Extr. chinae Dr. unam et dimid. Adde
Mell. depurat. Unc. unam.
MDS. ut prius.

Et hisce continuatis usque ad 1mam Octobris eadem manſit quidem vocis ſuppreſſio: evanuit autem tuſſis et artuum laſſitudo, corporis toroſitas increvit, atque minus impedita reſpiratio fuit. Ob ulcera faucium Mercurium dulcem ordinare decrevimus, non quaſi ſiphylitici quid ſubeſſet, cuius nulla omnino nobis fuit ſuſpicio, ſed quod, ut experientia conſtat, idem Mercurius ſalutarem quendam effectum in ulceribus, quandoque ut remedium excitans, oſtendit. Praeſcripſimus igitur:

℞. Calomel. opt. Gr. unum.
Opii puriſſ. Gr. ſemis.
Sacch. canarienſ. Scrup. ſemis.
M. f. pulvis, det. pro doſi, et dent. tales doſes
Nro duodecim. S. Ter de die doſis una.

℞. Liniment. volat. camphorat. Unc. duas.
DS. Ad inungendam colli regionem.

His continuatis ad 8vam usque Octobris ulcera faucium ſenſim meliorem praebent adſpectum, et

quotidie pauciora videntur. Vox vero eadem ſiluit. Continuatur uſus pulverum ex Calomele.

Die 15ta. Adſunt adhuc ulcera pauca, et ſanationi quidem proxima. Continuantur pulveres ſine ſalivationis indiciis.

Die 20ma. Nulla amplius faucium ulcera. Vocis ſuppreſſio parum reſtituta, ceterae functiones ſanae.

Die 22da. Omnia fere eadem. Quum aeger, excepta modica tantum vocis ſuppreſſione, ſat bene valeret, e noſocomio eum dimiſimus, ſpe freti, eum tempore ſanatum iri, niſi adeſſet in ipſis nervis ad organa vocis pertinentibus deſtructio ſeu ruptura ex praecipiti lapſu procreata, et praecipue ſi, quod arguebamus, ſubeſſet tantum paralyſis nervorum tracheae ſeſe communicantium, uti varia etiam exſtant exempla, eiusmodi homines, qui vocem amiſerint, nervis non deſtructis, accedente nempe cauſa vehementer excitante, e. g. terrore ſubito et inopinato eam impetraſſent. Neque etiam ſpes nos fefellit: aeger enim in urbe opificio ſuo difficillimo navans operam perfecta fruitur ſanitate, eiusque vox naturali iam multo magis accedit.

Heller.

Cephalalgia periodica.

Michael Reiſch, ex oppido Gemünden ad Moenum iacente, 18 annos natus, ſat robuſto corpore, ſemperque incolumi ſanitate gaudens, decem abhinc diebus adfligitur capitis doloribus tam vehementibus, ut inter paroxyſmum illi lacrymae copioſae exprimerentur, totaque facies rubore obduceretur. Perſcrutantes nullam omnino cauſam antecedentem huius mali detegere potuimus. Omnes functiones obſervantur integrae, neque notatu dignum quid vidimus, niſi quod quilibet paroxyſmus hora 7ma

matutina adpareret, et usque ad horam 11mam perduraret, quin aeger reliquo tempore incommodum ullum persentiret. Nosocomium adiit, atque die 3tia Septembris recepto praescribitur:

℞. Pulv. cort. chinae Scrup. duos.
D. pro dosi, dent. tal. dos. Nro duodecim.
DS. Omni trihorio pulvis unus.

Diaeta plena, vinum aqua dilutum, et regimen modice calidum ac siccum.

Die 4ta. Dolorum capitis paroxysmus minus, ac hesterna die, vehemens. Praescribitur:

℞. Pulv. cort. chinae Scrup. duos.
— rad. Valer. Gr. quindecim.
M. f. pulv. pro dosi, et dent. tal. dos. Nro duodecim. DS. Omni trihorio capiat pulv. unum.

Die 5ta. Omnia ut heri.

Die 6ta. Hora 7ma matutina aegrum paroxysmus lenis usque ad 11mam perdurans invasit. Medicamina eadem.

Die 7ma. Hora eadem paroxysmus adparuit, sed mitior praecedentibus.

Die 8va. Eodem tempore aeger capitis dolorem minus vehementem minusque diuturnum passus est. Praescribitur:

℞. Ol. olivar. Unc. unam.
Sal. ammon. volat.
Tinct. thebaic. aa. Dr. unam.
MDS. ad usum externum.

Remedia interna continuantur.

Die 9na. Aeger nullum impetum sustinuit.

Die 10ma. Nullum signum cephalalgiae redeuntis; omnes functiones observantur integrae; aeger portione dimidia et pro potu vino aqua diluto usus, et continuatis remediis in integrum restitutus, die 16ta Septembris nosocomio excessit.

Kuhlmann.

OCTOBER.

Mensis huius initium amoena calidaque adornavit tempestas. Matutino tempore coelum obvelabant nebulae, mox radiis solaribus dissipatae. A 10ma ad 19nam ingrata fuit, frigida ventosaque; nec raro nubes coelum obtexere. 15ta nebulosa, calida, ad vesperum pluvia. 16ta et 17ma amoena et calida. 18va nebulosa et pluviosa. A 19na ad mensis finem amoena, serena calidaque, et vindemia inter hasce coeli amoenitates plenis spumabat labris.

Perpaucos aegrotantes hoc mense vidit institutum nostrum, quum nec urbis nec totius adiacentis territorii, quantum mihi aliisque innotuit, incolae morbis gravarentur. Passim tantùmmodo observabantur coryza, febres catarrhales, angina, rheumatismi, morbi tam leves, ut intra breve temporis spatium saepius sine omni medicaminum adiumento evanescerent. Febres, quas observavimus, nervosae, eadem, ut mense priore, ratione tractatae suum absolverunt decursum, eiusdemque fuerunt indolis. Ceteri morbi erant chronici, quos, quum vel minus notabiles, vel mensis sub finem disquisitioni et observationi nostrae subiecti essent, in praesenti memorare non licet. Adtentionem autem maxime mereri inter exiguum morborum numerum erysipelas cum emphysemate videtur, cuius historiam paucis iam exponam.

Pistor quidam, annos 44 natus et sanis ortus parentibus, corpore sat robusto laetaque a teneris sanitate usus est, nisi quod 12mo aetatis suae anno per tres menses vexaretur scabie. Molestum hoc exanthema adhibito unguento ex sulphure, Mercurio et oleo olivarum ita evanuit, ut ullas inde reman-

ſiſſe moleſtias ſibi haud meminerit. Ex coniugio ſat infelici tres genuit proles cum uxore, quae ex cancroſo ulcere faciem occupante periit. Qua defuncta opibus exhauſtus cum infantibus ipſi relictis vitam vivebat miſerrimam, plerumque vagabundam. Quum 24to aetatis ſuae anno in cella vinaria laborans atque multum refrigeratus magnam vini frigidi copiam avidis hauſiſſet faucibus, ſubito moleſtiam in pectore ſenſit: horrorem ſat vehementem inſequebantur calor, languor, tuſſicula ſicca, ſenſatio quaedam tendens ac premens in pectore, reſpiratio difficilis et anxia. Increſcentibus noctu hisce ſymptomatibus quaerit auxilium a Medico, et mox reſtitutus fuit. Ex eo tempore, expoſitus omnibus miſerae ac vagae vivendi rationi adnexis calamitatibus, variis adfligebatur morbis, in quibus tamen adfectiones pectoris maximi ſemper fuerant momenti. Quum praeterea pro vitae ſuae genere pondera levando pulmones adhuc magis exagitaret, accidit, ut in maiorem morbi traheretur opportunitatem. Quare omni fere vernali et autumnali tempore a tuſſicula ab initio ſicca, in poſterum autem ſputis ſoluta, adfectum ſe fuiſſe refert. Quibus pectoris adfectionibus ſe nonnunquam adſociavit cardialgia, quam uſu ſpiritus vini vinive calidi profligare conabatur, quod remedium mox amavit tantopere, ut quotidie fere dimidiam vel etiam libram unam ſpiritus vini biberet. Infelicem hanc conſuetudinem firmavit magis Medicus quidam, qui aegro elixirium quoddam ſpirituoſum mane ſumendum praeſcripſit. Levatus inde paululum aeger lubenter huic conſuetudini indulſit, minusque ſollicitus de ſua valetudine aeſtatis calore excalefactus aquam hauſit frigidam, nec non data quavis occaſione potibus ſpirituoſis uſus, hoc tempore tandem

autumnali corripitur omnibus pectoris adſecti ſymptomatibus ſupra iam enarratis. Adpetitus praeterea fuit depravatus, atque ſudoribus nocturnis fere diffluens aeger valde debilitabatur. Tuſſis cum ſputis e viridi flavis ac tenacibus mane e lecto ſurgentem valde anxium reddebat. Menſe Octobri ad ſuam ſuorumque ſuſtentandam vitam ruri circumvagus valdeque excalefactus, larga ſubito pluvia per totum corpus madefactus, in proximum feſtinans hoſpitium calori fornacis proxime adſedit. Siccatus paululum aeris frigori ſe denuo expoſuit, iter in urbem proſecuturus. Sed haud longe progreſſus ſubito collum quaſi rigidum et tumens, totum caput graviter occupatum, inſtantem quaſi apoplexiam, pectoris oppreſſionem et conſtrictionem, et in latere thoracis dextro ſenſum titillationis percepit. Viribus valde proſtratis in urbem venit. Noctu ſubitaneo totumque corpus percutiente frigore excitatur e ſomno, quumque ob reſpirationis difficultatem e lecto ſeſe adtollere cogeretur, capitis, trunci et extremitatum ſuperiorum tumorem ſentit ac gravedinem ingentem; palpebrae oculi dextri tumentes bulbum obtegunt. Inſequitur calor corporis urens, ſitis inexplebilis, orthopnoea. Altera die, 5ta Octobris, miſer hic ad noſocomium confugit. Capitis et trunci corporis monſtroſa conſpicitur tumeſcentia, facies rubedine fulgens eryſipelatoſa, palpebra utriusque oculi tumens ita, ut bulbi obtegerentur. Mammae earum mulieris inſtar lacteſcentis turgent. In capite, trunco et extremitatibus ſuperioribus ſtrepitus ſub adtactu crepitans, ut in emphyſemate, ſat bene diſtinguitur; frigus praeterea et calor alternans, reſpiratio difficilis, anxia, ſtertoroſa, ſitum nonniſi erectum in lecto concedens aegro; tuſſis frequens et ſicca; ſputa interdum ſpumoſa;

pulſus parvus, debilis et frequens; cutis arida, ſitis multa, alvus obſtructa.

Morbi cauſam praeter tempeſtatis mutationes ac refrigeria aeger nullam accuſat: quare prognoſin diſcrimine plenam pronuntiantes praeſcripſimus:

℞. Aq. flor. ſambuc. Unc. ſeptem.
Vini antimon. Huxh. Dr. duas.
Spir. Minder.
Syrup. diacod. aa. Unc. unam et dimid.
MDS. Omni hora cochlear unum.

Adplicetur clyſma emolliens. Diaeta tenuis cum vino. Regimen calidum et ſiccum.

Ne ullum de aeris ſub cute praeſentia ſuperſit dubium, fonticulum ad brachium dextrum poſuimus, quo levi preſſione aer inter ſanguinem eo loco adgregatum bullularum ſub forma exiit.

A 6ta usque ad 9nam Octobris. Continuata hac medendi methodo eryſipelas faciei ut et febris evaneſcit; ſubſequente largo ſudore, tumor capitis et reliqui corporis collabitur; ſtrepitus tamen tactui ſenſibilis atque pectoris adfectiones et tuſſicula cum ſputis tenacibus e viridi flavis permanent: unde pulmonis dextri vomicam ſeu exulcerationes a neglectis praegreſſis pectoris morbis et vitae genere ſuſpicati ſumus. Ordinatur:

℞. Rad. polygal. ſeneg. Dr. duas.
coq. cum aq. font. libra una ad remanent.
Unc. ſeptem. Col. adde
Mell. depur. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

Diaeta portio quadrans. Pro potu vinum aqua dilutum.

Die 9na et 10ma. Omnia eadem, nocte ſudor largus. Praeſcribitur:

℞. Opii puri Gr. unum.
Rad. Ipecacuanh. Gr. dimidium.
Sacch. albi Dr. dimidiam.
M. f. pulv. div. in duas part. aequales.
DS. Mane et veſpere doſis una.

Die 11ma et 12ma. Symptomata et ordinatio eadem.

Die 13tia. Symptomata pectoris valde imminuta; ſputa puriformia facillime eiiciuntur; laſſitudo inter largos per noctem ſudores; emphyſema fere totum evanidum. Praeſcribitur:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. unam.
Rad. polygal. ſeneg. Dr. duas.
coq. c. aq. font. libra una ad remanent. Unc. octo. Col. adde
Mell. depur. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

Pro potu decoctum Lich. Island. Portio dimidia cum vino.

A die 14ta ad 18vam. Adfectiones pectoris valde imminutae; reſtat autem tuſſis cum ſputis puriformibus. Hinc ſublato emphyſemate et faciei eryſipelate aegrum declaravimus phthiſicum, et poſt aliquod tempus viribus magis reſtauratis e noſocomio dimiſimus.

Epicriſis.

Multa ex anamneſi, plura adhuc ex ſtatu aegrotantis praeſente, in quo ad nos venit, occurrunt circa originem huius emphyſematis probabilia.

Rite perpenſis omnibus ex ſincera aegrotantis relatione enarratis, ex vita vagabunda, neglecta ſanitatis cura et natis exinde frequentioribus pectoris adfectionibus, haemoptyſi praeſertim et peripneumonia vel neglecta vel perverſe tractata, ortae videntur tam pulmonis cum pleura accretiones,

quam vomicae seu pulmonum exulcerationes, vel ipsam substantiam vel superficiem tenentes. Exinde et emphysema ortum suum trahere, evidens satis est. Quum enim ex motu vel nisu vehementiore, quem exercuit aeger, pleurae pars, quae adhaesit, disrupta aut ulceribus pulmonum erosa esset, aer per minutissimos bronchiorum ramos in tela cellulosa pleuram ambiente facile diffundere se potuit, id quod eo veri similius videtur, quum aeger in examine mentionem fecerit cuiusdam fragoris in latere dextro percepti, dum saccum tritico repletum humero imposuerat.

Ast quum durante nisu virium intensio ac fragoris in cavo pectoris percepti sensus ante emphysematis originem per longum temporis spatium praecesserant, iure dubitatur, an ex laesione seu ruptura pleurae pulmonibus per repetitas inflammationes accretae ortum sit emphysema.

Aeger nempe in hoc autumnali tempore mirum in modum exaestuans in itinere, subito decidente pluvia ruri madefactus refrigeratusque ingreditur cubiculum fornacis igne valde calefactum in hospitio. Ubi quum per tempus aliquod commoratus esset, siccatis demum vestibus denuo aeri et pluviae se exposuit. Verum non multo post corripitur horripilatione, et calore hospitii expressus sudor evanescit. Friget itaque; accedunt anxietas, respiratio difficilis, suffocatio, et denique erysipelas cum emphysemate. Nonne itaque emphysema ab alia causa interna ortum habere potest, seu etiam ex suppressa transpiratione, aut subito per refrigerium mutata cutis organismi actione, qua materies transspirabilis ita mutabatur, ut aeris sub forma sese in tela cellulosa expanderet?

Schulz *) tale exemplum a transſpiratione ſuppreſſa ob habitaculi inſalubritatem narrat. Fabricius Hildanus **) caſum adfert pueri decem annos nati, variolis ſimulque emphyſemate adflicti ſine ulla pectoris eiusque viſcerum externae vel internae laeſionis ſuſpicione, et Willmer ***) a putredine ortum fuiſſe totius corporis emphyſema teſtatur.

An vero in corpore vivente telam inter celluloſam aeris geneſis non ſatis eluceſcit? Deſunt exempla, quae hoc ſatis demonſtrare valeant. Una alterave obſervatio nil omnino edocebit, praecipue ſi non ſatis accurate inſtituta atque enarrata fuerit. A cauſis quidem externis, e. g. cavi thoracis percuſſione, coſtarum fractura et disruptione tracheae arteriae, quem caſum Swediauer ****) in infante tuſſi adfecto obſervavit, eundem morbum oriri conſtat: num vero et ab interna oriatur, omnino non convicti ſumus. Quum igitur in noſtro caſu nullae praecederent cauſae corpus externe adficientes, neque ex ratiocinio, neque ex obſervationibus admittere poſſumus, aerem in corpore humano inter telam celluloſam gigni; iure ex adfectis pulmonibus pleurae accretis (licet non a pleura, niſi disrupta, a pulmonum tamen ulceribus pleurae ſe communicantibus eamque corrodentibus) emphyſematis ortum deducimus. Aer nempe inſpiratus per ramos bronchiales et pleuram exulceratam atque telam celluloſam ſe effundebat; hinc et ipſum emphyſema gradu maiore partes vici-

---

*) Diſſertatio de Emphyſemate. Vide Halleri Disput. chir. Tom. II. pag. 569.
**) Cent. V. Obſerv. 70.
***) Caſes and Remarkes in Surgery. London 1779. p. 82.
****) Lond. med. Journal. 1781. p. 408.

nas, pectus, dorſum et mammas occupabat; hinc extremitates inferiores erant liberae. Tempore autem curaque inſtituta ſenſim ſenſimque ſanatis ulceribus evanuit morbus, aeris nempe transgreſſu per cicatriſationem impedito. Emphyſematis evanescentiam noſtrae curandi methodo irritanti et largis inde ſequentibus ſudoribus nocturnis adſcribendam eſſe, vix dubito. Schulz *) rariora dicit obtingere exempla emphyſematis ſine vulnere in cavitatem thoracis penetrante: ab exulceratione pleurae et ſpatiorum intercoſtalium profundiore originem ducentis unum tamen allegat caſum noſtro ſimilem, quem et eadem ratione ſequentibus declarat: ,,Pulmones olim pleurae adnatos, exortaque ,,inflammatione et ſuppuratione ſubſecuta tam pulmones, quam pleuram cum ſubiectis muſculis intercoſtalibus de ſubſtantia ſua aliquam notabilem ,,portionem amiſiſſe, ut inde pus per pulmonem ,,eiici potuerit, aer autem ſubingreſſus ad ſpatium ,,intercoſtale exulceratum provenerit, unde ſe in ,,cellulas pinguedinoſas, muſculis interiectis inſinuavit, et ad exteriorem habitum fuit propulſus."

Treyer.

*) l. c. p. 571.

NOVEMBER.

A die 1ma ad 12mam usque tempeſtas fuit nebuloſa, ventoſa et pluvioſa. 13tia coelum mane fuit ſerenum, poſt meridiem nubibus tectum; tempeſtas frigidior. A 14ta ad 16tam nebuloſa; nives et pluviae. Die 17ma ad 23tiam frigida tempeſtas ac nives. Die 24ta ſerenum et urens gelu. Die 25ta nebuloſa tempeſtas, et frigoris vehementia remiſit. A 26ta ad finem calida, ventoſa ac pluvioſa, quo tempore nives deliqueſcebant.

Catarrhoſae adfectiones ac rheumatiſmi praeſertim muſculos thoracis tenentes in urbe noſtra ac vicinia morbi frequentiſſimi et fere epidemici fuerunt, ab aliis pleuritides rheumaticae vocati. Incepit morbus a frequenti horripilatione, alternante calore per artus volante, artuum dedolatione ac doloribus lancinantibus. Morbo increſcente inſequebantur dolor capitis, aurium ſuſurrus, anxietas, tuſſicula ſicca, dolor lateris ad coſtas punctorius et vagus, ita, ut mox humerum, mox ſcapulas, mox ſternum ac partes vicinas occuparet. Pulſus frequentes, molles, in nonnullis ſubduri; adpetitus proſtratus; alvus in aliis liquida, in aliis tarda; lingua muco albeſcente obducta; ſapor oris vapidus; ſitis, urina e flavo rubeſcens, ſomnus tuſſi turbatus. Sudor initio caput et pectus occupans non levavit aegros; ad finem vero morbi adparens ac per totam corporis ſuperficiem cum acido foetore erumpens omnes diſſipavit moleſtias, quae ſaltem eo ſubſequente evanuere.

Morbus non diu duravit, ad ſeptem novemque dies, et, ut dixi, plerumque ſudore, nunquam ſputis finitus eſt. Eos morbus maxime invaſit, qui cubiculis nimium calefactis per dies aliquot incluſi

aeri frigidiori, nebulofo et pluviofo, leviore veſtitu cincti mox ſe exponebant.

Cedebat vero haud difficulter morbus regimini calidiori, potibus copiofis tepidis, levi diaetae ac remediis leniter excitantibus ſic dictis diaphoreticis non calefacientibus. Ad haec numerantur Tartarus emeticus partita doſi exhibitus, Vinum antimonii Huxhami, Spiritus Mindereri, ſalis ammoniaci depurati, Infuſum ac Roob flor. ſambuci &c. Alvus tarda fere ſemper clyſmate e ſpeciebus emollientibus parato ſollicitabatur.

In graviore vero adfectione, tuſſi nempe ac doloribus lateris lancinantibus adauctis, praeſertim una cum febre verſus veſperum exacerbatis, opium in fracta doſi, ne nimium incitaret, ob medicaminis inter reliqua incitantia ſummam efficaciam ad granum quadrans aut dimidium omni veſpere inter uſum dictorum remediorum exhibitum, atque Linimentum volatile camphoratum, ſeu et in nonnullis veſicatorium ut rubefaciens pectori adplicatum, morbum brevi diſſipavere; immo et ſinapiſmi ac pediluvia tepida ſeminibus ſinapeos mixta levamen adtulere.

Praeter haſce adfectiones graſſabantur quoque coryzae, hemicraniae rheumaticae, otalgiae, odontalgiae, anginae, raucedines, quae eandem medendi methodum requirebant. Hiſce non tantum adulti, ſed et infantes adfecti graviter decubuere.

Ceterum perpauci ob has moleſtias noſodochium adibant, quum eas ſaepius ſolum calidius regimen, morbo ingruente ſtatim adhibitum, intra paucos dies profligavit. Aliis vero, qui pleuritidem rheumaticam omnino neglexere, aut variis excitantibus eam depellere conati ſunt, non raro accidit, ut in veram peripneumoniam aut haemoptyſin inciderent.

Qua ſub conditione methodus profuit debilitans. Ipſa peripneumonia autem vel neglecta, vel perverſe variis ſtimulantibus tractata, mox in aſtheniam transivit, quae plus, quam ipſa ſthenia, periculi habuit, nec niſi excitantibus iuſto moderamine adhibitis depelli potuit. Exemplum talis peripneumoniae aſthenicae infra exponam. Quae licet in initio ac decurſu ſthenicae fuerit indolis, neglectu tamen nimioque et incongruo excitantium uſu, atque morbi longiore duratione, quibus ipſa inflammatio aucta ut novum incitamentum nimia vi in fibras incitabiles agebat, neceſſario in aſtheniam transgredi debuit. Notum enim eſt, inflammationem ſibi relictam aut ſtimulantibus exaſperatam per longum tempus ut talem perſeverare non poſſe, ſed ex ipſius morbi vigore maximam oriri incitationem, qua dein incitabilitas mox ita proſternitur, ut neceſſario naſcatur debilitas indirecta.

Ut maximi autem momenti, ita et difficillimae indagationis eſt morbi huius in aſtheniam mutatio, ad quam dignoſcendam tam praegreſſae potentiae, quam praeſentia ſymptomata ſevere perſcrutanda ſunt. Licet enim fere ſemper phaenomena indicent adhuc ſtatum ſthenicum, aegrotans tamen debilitantibus, e. g. venae ſectione, tractatus in extremum vitae periculum praecipitatur. Phaenomenis igitur non unice fidendum, ſed ex iis, quae morbum praeceſſerunt, iudicium potius formetur, atque medendi methodus ſtabiliatur. Si enim ex anamneſi eluceat, non ſolum pulmonis, ſed et totius corporis adeſſe debilitatem indirectam, adhibenda ſunt excitantia fortiſſima, ita tamen, ut continuo reſpicias ad debilitatis indirectae gradum. Eminet vero inter haec remedia opium, quod ſub hac conditione feliciſſimo ſemper eventu adhibui. Varia

quidem ſtheniae phaenomena ſe oſtenderant in aegro noſtro, ſcilicet dolores lateris punctorii, oppreſſio pectoris, reſpiratio difficilis, tuſſicula ſicca, rubor faciei &c., quae nos facile ad inſtituendam methodum debilitantem ſeducere potuiſſent: aſt, ut dixi, anamneſis, morbi duratio variaque alia phaenomena, pulſus nempe debiles, frequentes, molliſſimi, diarrhoea aquoſa &c., morbum a debilitate indirecta ortum methodumque excitantem nobis indicaverunt.

Eodem menſe paſſim videbantur et febres nervoſae, illis quidem per aeſtatem obſervatis graviores, minus tamen atroces, quam illae per hyemem anni elapſi epidemice graſſantes. Earum indoles ſatis patebit ex binis morborum hiſtoriis mox deſcribendis. Sub larva plerumque rheumatiſmi acuti ſic dicti ingruebant, et aeger arte perverſa ancipitique in vitae periculum facile coniiciebatur, ſtatu nervoſo non ſatis mature cognito, quem indicarunt et ſumma virium proſtratio iam diu ante morbum praegreſſa, languor, lugubris aegrotantium facies, ac animi deiectio, pulſus frequens, debilis et tactum facile elidens, variaeque mox accedentes adfectiones nervoſae, dolor capitis atrox, vertigo, aurium tinnitus, lipothymia, muſculorum tremores, diarrhoea aquoſa &c.

Statim ab initio omnis medendi methodus eo dirigenda fuit, ut viribus vitalibus proſpiceretur, quas equidem remediis variis excitantibus erigendas eſſe iudicavi. Sepoſito igitur emetico aut perniacioſiore adhuc cathartico, quum ſymptomata ſic dicta gaſtrica, ſi adeſſent, non ſordibus, ſed debilitati laeſaeque inde organorum ad digeſtionem pertinentium functioni tribuerem, optimo ſucceſſu exhibui radicem valerianam, ſerpentariam, naph-

tham vitrioli, alcali volatile, camphoram, chinam, vinum atque opium, pro vario debilitatis gradu diversimode propinata. In morbi initio ac decursu, vigente adhuc febre, nunquam corticem peruvianum adhibui, sed ea pedetentim decrescente, et tum cum hac cautela, ut illum semper in infuso aut decocto propinarem, cum aliis excitantibus diffusibilibus, e.g. liquore anodino minerali Hofmanni, aqua cinamomi, camphora et similibus iunctum. Redeuntibus demum sensim viribus propinavi et corticis extractum atque pulverem stimulis diffusibilibus semper mixtum, dein amara ac denique martialia, usque dum debilitas omnino sublata esset.

Camphoram semper praescripsi in febribus gravioribus, ubi nempe calor urens, cutis arida, pulsus debiles ac exiles, deliria, tendinum subsultus &c. aderant, pro virium prostratarum ratione ad grana triginta, immo sexaginta per nycthemeri spatium. Et fere semper observavi ab usu huius egregii remedii pulsum moderate frequentem, calorem fere naturalem, cutem madidam, ceterasque nervosas adfectiones imminutas, unde camphoram non deprimere, sed stimulo vires erigere cum Frankio iun. aliisque iudicavi.

Naphtham vitrioli in initio morbi parca dosi aliis leniter excitantibus, infuso Valerianae, serpentariae adiunxi, vel aucta dosi in gravioribus febribus, ubi pulsus valde debilis atque mollis fuit; nunquam vero sub ea conditione solam, sed summo emolumento cum aliis excitantibus, praecipue camphora, semper propinavi.

Alcali volatile nunquam in vigore morbi, sed tantummodo in initio cum aliis diffusibilibus stimulis exhibui, quin tamen in febribus gravioribus voto unquam responderet. Neque moschus satis

mihi fecit, non ineunte quidem morbo, ſed eo maxime vigente adhibitus. Quem licet ſub varia pulſus conditione, ſub parvo, ſubduro, molli, pleno, tremulo pulſu, ac magna ſat quantitate ad triginta, immo quadraginta grana per nycthemeri ſpatium porrigerem, ſemper tamen, etſi optimae fuerit notae, ſpem feſellit. Alii quidem hoc remedio plures graviſſimas febres, aliis remediis reſiſtentes, victas eſſe adfirmant; mihi vero nunquam ſucceſſit. Quare illud nunc rariſſime febre nervoſa detentis exhibeo, quum haud pauca experimenta me docuerint, moſcho camphoram longe eſſe anteponendam, licet cel. Frank iun. contrariam tueatur ſententiam.

Opium, vehementer ſtimulans, in hac febre magna cum cautela ſemper adhibui. Non paucos vidi, qui id male ferrent, et anxietates, vertiginem, deliria, inſomnia, vomitus, ſudores ob nimiam ſtimuli vim ex eius uſu orta eſſe animadverti. Summa tantummodo urgente debilitate, aut accedentibus variis vires magis magisque exhaurientibus, e. g. diarrhoea aquoſa, narium haemorrhagia, propinavi per nycthemeri ſpatium opii granum unum ad quatuor; ad quem finem vel elegi pulverem vel tincturam thebaicam. Sub ea conditione vidi huius remedii caute propinati effectus egregios, ſemperque per breviora intervalla plenam opii doſin ad granum dimidium vel pro virium discrimine ad integrum porrexi, ita, ut incitatio continua ſtimuli vi excitata ſemper perſtare, immo accreſcere cogeretur.

Pro medicaminum ratione et victum elegi talem, qui a debili ventriculo facile ſubigi, ac vires aegrotantium leni ſtimulo reſtituere poſſet, cibos nimirum facile digerendos, nutrientes ſaepius per

diem, ſed non magna copia conceſſos; ſtimulis variis diffuſibilibus, e. g. vino, aromaticis, mixtos. Hinc exhibui carnes, non quidem in initio aut in febris vigore ipſam carnem aut eius gelatinam, ſed carnea iuſcula parca vini quantitate parata, ac ovo tincta, optime convictus, a carne non laedi digestionem, neque humorum putredinem, ut alii volunt, adaugeri. Vegetabilia vero, quae laudari ſolent, non conceſſi; frequenti enim obſervatione edoctus ſum, illis adgravari ventriculum atque debilitari.

Pro potu maxima ex parte exhibui aquam tertia parte vini generoſi mixtam, et ne aegri copia vini gravarentur, tempore intermedio pro eorum lubitu et potum tepidum e variis radicibus ac herbis, ſub nomine ſpecierum emollientium notis, paratum ordinavi, quo ſitis aegrotantibus hac febre detentis valde imminuebatur.

Praeter haecce remedia et alia ut adiumenta administravi, clyſmata ex infuſo florum chamomillae, e decocto corticis peruviani parata, atque liquore anodino minerali Hofmanni, vel et laudano liquido Sydenhami, vel camphora mixta, quae per alvum iniicienda ordinavi, praecipue in ſumma debilitate aut accedente imi ventris dolore, tumore et meteoriſmo. Secutae inde evacuationes moderatae aegrum valde levarunt, eiusque vires reſtaurarunt. Clyſma vero iniiciebatur ſemper parca quantitate ad uncias quatuor aut ſex. Porro, ſi vires magis magisque langueſcerent, et abdomen tumeret ac doleret, huic quoque inungi iuſſi linimentum volatile camphoratum, et adplicavi fomentationes e variis paratas herbis aromaticis, aqua decoctis ac vino rubro mixtis; porro ſinapiſmos ad plantas

pedum ſeu ſuras, et denique veſicatoria ut rubefacientia ad artus ſuperiores ſeu inferiores.

Quasdam et menſtruorum obſtructione ſeu amenorrhoea laborantes hoc menſe obſervavi, de qua alio loco fuſius tractare animus eſt. Cura noſtra verſabatur autem ſemper in eo, ut, quum morbus maxime a debilitate proficiſceretur, ea adminiſtraremus remedia, quae ſolidorum incitationem imminutam reſtituerent vel augerent. Malum hoc ſaepius inveteratum reperitur, ſeu neglectis diaeta ac regimine, ſeu nullis aut perverſe adhibitis medicaminibus, e. g. purgatione, venae ſectione &c. Vidi nonnullas, quae ex his in varias ruerent hydropis ſpecies, aſciten, hydrothoracem, aut in febres lentas phthiſinque pulmonalem. Quo leviores atque pauciores fuerint cauſae hunc morbum producentes; quo minor inde debilitas procreata ac minus malorum ex ea oriundorum agmen; quo minus temporis ſpatium eſt, ex quo iam obſtructi ſint menſes; eo celerior et tutior ſanatio abſolvetur. Curam huius morbi, a debilitate univerſali orti, leniter excitantibus incepimus, qualia ſunt Liquor anodinus mineralis Hofmanni, tinctura Valeriana, eſſentia caſtorei, tinctura thebaica parca doſi exhibita, infuſum Valerianae, ſerpentariae, chamomillae et ſimilia, quibus denique adiunximus amara, extractum gentianae, trifolii, abſinthii, cardui benedicti, quaſſiae, denique gummata ferulacea, galbanum, aſſam foetidam &c., ſpirituoſis excitantibus ac aromaticis iuncta. Haec vero tum praecipue adminiſtravimus, ubi maiorem virium languorem, functionum omnium inertiam, habitum corporis phlegmaticum, abdomen tumidum, multa pituita refertum invenimus. Aegrae tales quum perraro ab initio roborantia ſic dicta,

ut corticem peruvianum, martialia aut excitantia fortiora, ſine incommodo ferant; ea remedia tantummodo debilitatis phaenomenis magis magisque imminutis adhibuimus, ſemper excitantibus iuncta. Aſt ad debilitatem aliaque inde fluentia incommoda omnino depellenda conducunt prae reliquis martialia, et inter haec quidem tinctura martis, aut aethiops martialis Lemeryi, quum in primis viis facile ſolvitur, minoremque prae reliquis ventriculi moleſtiam creat, et intra breve temporis ſpatium morbum auferre valet. Adhibitis ſolis excitantibus remediis, e. g. opio ſeu eius praeparato, Laudano nempe liquido Sydenhami, menſes quoque redeuntes vidi, ut ex Hiſtoria II. ſatis patet, ubi aegrae amenorrhoea laboranti ob varias catarrhoſas adfectiones non amara, chinam ac martialia, ſed excitantia diffuſibilia adminiſtrare coactus fui.

Peripneumonia.

Georgius Kleinitz, Frankenwinheimenſis, molitor, 26 annos natus, corporis ſat robuſti, patre ortus ex phthiſi defuncto, incolumi ſemper a teneris gaudebat ſanitate. Ineunte menſe Octobri inſcius cauſae cuiuscunque, niſi accuſans ipſam vitae rationem, ſubitanea corripitur tuſſi diu noctuque laceſſente, increſcente praeſertim ſub coelo humido, frigido ac vehementi vento, cuius inſultus agreſtes exercens labores quotidie fere experitur. Quum nihil tamen corporis vigori detrahitur, omnesque functiones rite abſolvuntur, nullum opponit malo magis in dies vexanti remedium, quin immo in diaeta ſeſe non raro peccaſſe fatetur. Per ſex ſeptimanas tuſſin patitur mox ſiccam, mox humidam ſine ullo alio ſanitatis detrimento. Praeter-

lapſa autem die 17ma Novembris, frigidae ac humidae aeris tempeſtati expoſitus, inter labores ea prehenditur tuſſis vehementia, qua ſanguinis floridi parcam quantitatem exſcreat. Accedunt ſpirandi difficultas et atroces vagique dolores thoracis cavum occupantes, ita, ut nonniſi laborioſe aedes adtingat. Petit lectum in ſumma domus area ventis, quin immo pluviae expoſitum, morbo opitulaturus. Increſcit tuſſis nunc ſicca, reſpirandi difficultas, anxietas; adſociantur dolores capitis gravativi, horror cum calore alternans, ſitis multa, proſtratus corporis vigor. Ad morbum hunc fugandum vino calido cum pipere utitur, quo ingeſto morbum non modo non frangi, verum increſcere vehementer, et urgere intolerabilius videt. Per ſex dies adfigitur lecto. Nox fuit inſomnis, reſpiratio frequens, celeris, anxia; dolores pectoris ſemper continuant; ſitis multa, anorexia, artuum laſſitudo. Die 22da Novembris veſpere in noſodochium defertur.

Reperimus caput liberum, faciem laete rubentem, anorexiam, ſitim ingentem, linguam muco albeſcente obductam, reſpirationem difficilem et anxiam cum tuſſi ſicca, animam inſigniter aeſtuantem, dolores pectoris pungentes, inſpiratione profundiori auctos, ſitum ad latus impeditum, nonniſi corpore erecto poſſibilem; pulſus molliſſimos, debiles et frequentes; cutim aridam, calorem mordacem, diarrhoeam aquoſam, ſummam corporis debilitatem. Ordinatur:

℞. Pulv. gum. arab. Dr. tres.
ſolve in aq. ferv. Unc. ſex. Cui adde
Laud. liquid. Sydenh. Scrup. unum.
Syrup. diacod. Unc. unam.
MDS. Sumat omni hora Unciam dimidiam.

Pro potu decoctum ordinarium tepide ſumendum. Diaeta tenuis.

Die 23tia. Nox inſomnis, alvus una vice aperta, pulſus frequens, aſt non tam debilis. Cetera eadem, ut et ordinatio.

Veſpere. Rariores thoracis dolores, reſpiratio liberior, tuſſis ſicca et non tam frequens, ſputa alba, pulſus plenus et frequens; adpetit, ſumma corporis debilitas. Medicamina ac diaeta eadem.

Die 24ta. Per noctem aeger dormit, pulſus plenus et non tam frequens. Cetera eadem, ut et ordinatio. Praeterea praeſcribitur:

℞. Extract. Hyoſciam. Gr. unum.
Sulph. aurant. antim. Gr. dimid.
Sacch. alb. Scrup. unum.
M. f. pulv. det. pro doſi, et dent. tales doſes Nro novem.
Sig. Ter de die doſin unam.

Veſpere. Symptomatum exacerbatio.

Die 25ta. Dolor adhuc ad latus dextrum, reſpiratio liberior, tuſſis rara, ſputa tenacia et flava, pulſus ut in ſtatu ſano; adpetit; alvus aperta. Ordinatio eadem. Adplicetur veſicans ut rubefaciens ad partem dolentem.

Veſpere. Symptomatum exacerbatio.

Die 26ta. Nox bona, dolor pene nullus, reſpiratio libera, pulſus in ſtatu ſano, tuſſis rara, ſputa copioſa, flava, tenacia, adpetitus bonus, alvus aperta. Ordinatio eadem.

Die 27ma. Bene dormit, et bene ſeſe habere adfirmat: queritur nonniſi de corporis laſſitudine. Repetantur pulveres; pro potu ordinario habeat decoctum lichenis islandici. Diaeta portio quadrans.

His remediis aeger per octo dies inter perfectae ſanitatis indicia utitur, et dein conceſſo lautiore ci-

bo ac vino, nullam amplius accuſans pectoris adfectionem, in integrum et quoad vires reſtitutus die 19na Decembris noſocomio exceſſit.

Adelmann.

Febris nervoſa.

I.

Urſula Reif, Cellenſis ad urbem noſtram, 19 annos nata, vinitoris indigi filia, inde ab infantia ſua ſub victu viliſſimo ac plurimis gravibusque laboribus, quibus obnoxia fuit, opportunitatem in quemvis morbum a debilitate oriundum, in primis ſi potentiae nocentes accederent, contraxerat. Verum tamen, exceptis infantilibus morbis, nullum incommodum, utut miſera fuiſſet, qua adolevit, conditio, paſſa corpus iuſto gracilius trahebat.

Menſibus rite ingreſſis nec unquam hucusque irregularibus, fauſta gaudebat ſanitate, dum ancillae munere, quo per annum integrum iamiam functa eſt, ſuſcepto, die 17ma Novembris dolium aquae pluviatili excipiendae dicatum vacuefaciens, tota quanta humectaretur. Exinde friget, ac dein calet, oborto ſimul dolore preſſorio ad ſcrobiculum cordis cum cephalalgia; adpetitus proſternitur; nauſeat, vomiturit; primo incaſſum, mox vero bis vomit, materiamque virideſcentem eiicit. Hac rerum conditione diem transmittit. Proxima autem die, morbi ſecunda, cremoris tartari doſin ſat magnam, malum levatura, aſt infauſto cum eventu accipit. Ecce enim! remedium a feminis utriusque ſexus ad omnes adfectiones ſine ullo diſcrimine commendatum, ac in domo quavis reperiundum, tantum abeſt, ut proſit aegrae, ut potius obficiat plurimum. Nam confeſtim oritur diarrhoea aquoſa,

adhucdum perſtans,ac aegram valdopere debilitans; iamque caput magis eſſe occupatum coepit: dolor ſupra oculos fixus; ipſorum vero oculorum obnebulatio, ſuſurrus aurium, vertigo ac lipothymiae, in primis quando aegra erigere ſeſe ac ingredi tentat; ſitis multa cum magna linguae ſiccitate; artuum dedolatio atque adgravatio; calores per totum corpus urentes; pulſus parvus, debilis, frequens.

Hac ſymptomatum caterva comitante aegra die 21ma Novembris in noſocomium defertur, delataeque ordinatur a Medico adſiſtente ſequens:

℞. Rad. Valer. Unc. ſemis.
infund. aq. ferv. Unc. ſeptem.
Col. Colat. adde
Liq. anod. miner. Hofm. Scrup. duos.
Mell. optim. Unc. unam.
MDS. Omni hora capiat cochlear unum.

Pro potu ſit decoctum ordinarium. His inſuper Laud. liq. Sydenh. guttae octo porriguntur. Diaeta plena. Regimen modice calidum.

Nox ſubſecuta haud quieta et maxima ex parte inſomnis fuit.

Die 22da. Mane praeter memorata iam ſymptomata reperimus adpetitum omnino deiectum, linguam muco tenaci et flaveſcente obductam, ſaporem amaricantem, ſenſum preſſionis ac plenitudinis circa praecordia, ventriculi lumborumque dolores, ac murmura imi ventris, calorem magnum, cutem aridam, pulſum frequentem ac debilem. Ordinatur:

℞. [illegible]lv. rad. Valer. Unc. dimid.
infund. aq. ferv. Unc. ſeptem.
Col. Colat. adde
Liq. anod. miner. Hofm. Dr. unam.
Mell. optim. Unc. unam:

MDS. Omni bihorio cochlear unum.
Laud. liq. Sydenh. vespere ac mane guttas decem. Pro potu decoctum ordinarium, cui additur etiam vinum aqua diluendum.

Sub vesperum eiusdem diei febris exacerbatio. Cephalalgia fuit ingens, calor valde auctus, pulsus parvus, debilis ac, quam mane, frequentior; aegra medicamina difficulter deglutivit; diarrhoea cessaverat. Nocte insequente horis aliquot dormivit; somno evigilans ter vomuit materiem viridescentem; diarrhoea rediit.

Die 23tia. Eadem symptomata perstant. Aegrae, medicamina se haud ferre, conquestae ordinatur:

℞. Rad. serpent. virgin. Dr. tres.
infund. aq. ferv. Unc. septem.
Col. Colat. adde.
Naphth. vitriol. Scrup. duos.
Aq. cinamom.
Syrup. cort. aurant. aa. Unc. unam.
MDS. Omni hora cochlear unum.

Diaeta eadem.

Vespere. Febris exacerbatio, ut praecedente die.

Die 24ta. Comperimus, nocte praegressa somnum vix ullum ac insomniis turbatum fuisse. Aegra quinquies alvum deposuit aquosam, vomituque materiem viridescentem eiecit. Porro subsultus tendinum leves, sitis cum siccitate linguae magna, deliriaque lenia, ac summa virium prostratio. Additur ergo mixturae heri praescriptae:

℞. Camph. Gr. duo.
Sacch. albi Scrup. dimid.
M. f. pulv. pro dosi, dentur tales doses Nro sex.
S. Omni bihorio dosis una.

Diaeta ac cetera eadem.

Interdiu diarrhoea et vomitus cessant; subsultus tendinum rariores, quam mane; pulsus parvus, debilis et frequens. Somnus nocte insequente nequaquam turbatus ad dimidium usque noctis; reliquo vero eiusdem spatio phantasmata somnum pepulere.

Die 25ta. Idem morbi status, eademque medicamina ac diaeta.

Die 26ta. Nox praegressa placidissima. Symptomatum omnium remissio; cutis, quae adhuc persicca fuerat, mador; lingua humida; pulsus frequens et debilis, sed hesterno elevatior. Ordinatio eadem, ut et diaeta.

Die 27ma. Somnus de nocte fuerat placidus et summe recreans; cutis mador. Cetera ac medicamina et diaeta eadem.

Die 28va. Eadem. Mixtura, quam recusat, omittitur, camphorae vero additur decoctum lichenis islandici.

Die 29na. Cephalalgia recrudescit: stillicidium sanguinis e naribus transacta nocte accidit; somnus fere nullus fuerat. Ordinatio et diaeta eadem. Interdiu tres sedes aquosae et vomitus ingesti medicaminis; pulsuum frequentia et debilitas maior.

Die 30ma. Nox inquieta, cephalalgia vehementissima. Hesterna medicamina et diaeta.

Die 1ma Decembris. Eadem. Sinapismus suris adplicandus ordinatur. Medicamina et diaeta eadem.

Die 2da. Cephalalgia fere nulla; pulsus frequens, sed hesterno elevatior; lingua humida ac cutis madida. Hesterna medicamina.

Die 3tia. Nox bona: cephalalgia omnino disparuit. Omnes functiones ad leges sanitatis absolvuntur. Hesterna medicamina.

Die 4ta. Cessantibus cunctis symptomatibus reconvalescentiae statum adesse iudicantes ordinavimus:

℞. Pulv. cort. peruv. Unc. dimid.
coq. c. aq. font. Unc. duodecim ad remanent. Unc. ſex. Col. Colat. adde
Liq. anod. miner. Hofm. Scrup. duos.
Syrup. cort. aurant. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlear unum.

Diaeta portio quadrans. Potus decoctum ſpecierum et vinum aqua diluendum.

Sub uſu horum medicaminum continuato additaque portione dimidia vires ſenſim recuperavit, et integre reſtituta ex noſocomio dimiſſa eſt die 31ma Decembris.

Ruland.

II.

Femina quaedam, 26 annos nata, debiliori corporis habitu praedita, a prima iam iuventute, quoad vires permiſerunt, laboribus agreſtibus occupata fuit. Magis adulta ancillae munere fungebatur, quo ei nonnunquam data fuit occaſio, vita liberiore libidinis ſuae primitias Veneri offerendi, quam vitae rationem in poſterum per plures annos coluit. Ante annum iter fecit Viennam, eo ſtudio, ut meliorem ibi adtingeret ſortem; ſed eventus exſpectationi nullo modo reſpondit. Innumerabiles enim perpeſſa miſerias et morbos, quos, ut ex hiſtoria elucebit, facile e variis luis ſyphiliticae veſtigiis derivare potuimus, neceſſaria vix ſibi potuit comparare ad vitam ſuſtentandam. Tandem tot tantisque fatis adverſis defatigata in patriam revertere decrevit, atque in eo itinere, quod dies noctesque pedibus peregit, omni non ſolum tempeſtatis calamitati expoſita, ſed fame ſitique exagitata mendicando victum quaerere cogebatur. Ea miſeria

viribus fere omnino deiectis urbem noſtram tandem adtigit, et ſtatim altera die, 28va Octobris, quum ad noſocomium confugerit, recepta eſt.

Corpus fuit valde emaciatum, pallidum, ac itinere, victu deficiente neceſſario, defatigatum. Summa adfuit virium proſtratio, laſſitudo, artuum dedolatio, ut pedibus inſiſtere vix valeret. Foetor ſimul teter ex ore et peripheria corporis prodiit, adſtantibus omnibus moleſtus. Praeterea accuſavit vertiginem, dolorem capitis, aurium ſuſurrum, reſpirationem anxiam atque difficilem, cordis palpitationes, lipothymiam, ventriculi preſſionem, adpetitum proſtratum, abdominis dolores ac tormina. Exploratione genitalium ob ſyphilidis ſuſpicionem inſtituta, leucorrhoea eam laborare invenimus, an venerea ob vitae rationem, ex ipſius confeſſione non ſufficienter patuit. Id ſaltem confeſſa eſt, ſe ante sesquiannum prolem peperiſſe, ex quo tempore fluorem album ſibi conciliaverit. Pulſus praeterea invenimus frequentes, parvos ac exiles. Ordinavimus praeter diaetam nutrientem et vinum aqua dilutum ſequentem mixturam:

℞. Cort. peruv. Unc. unam.
coq. c. aq. font. Unc. ſedecim ad remanent. Unc. octo. Col. Colat. adde
Mell. opt. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio capiat cochl. maiora duo.

Continuantur medicamina ad 4tam usque Novembris, aſt ſymptomata eadem. Hinc ordinatum eſt:

℞. Decoct. cort. peruv. ult. ord. Unc. octo.
Liq. anod. miner. Hofm. Dr. unam.
Tinct. thebaic. Scrup. duos.
Mell. opt. Unc. unam.
MDS. ut prius.

Diaeta eadem.

Inter uſum horum medicaminum, quae per quatuor dies continuabantur, aegra ſaepius vehementi ira fuit commota, et die 9na Novembris in febrem nervoſam incidit. Corripiebatur nempe vehementi frigore, quod calor urens per totum corpus excepit. Sequebantur ſumma artuum laſſitudo ac corporis debilitas, ita, ut corpus erigere vix valeret, lipothymia, capitis dolor in vertice preſſorius, vertigo, aurium ſuſurrus, nauſea, vomituritio, lingua tremula et arida, ſitis ingens, extremitatum frigus ac muſculorum tremor, reſpiratio anxia, cordis palpitatio, pulſus valde exiles, parvi ac frequentes, urina laete rubra, alvus obſtructa. Ordinavimus:

℞. Pulv. rad. Valer. Unc. ſemis.
infund. aq. fervent. Unc. octo.
Col. Colat. adde
Liq. anod. miner. Hofm. Dr. unam.
Mell. optim. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

Praeſcribitur ſimul clyſma emolliens. Diaeta tenuis cum vino. Pro potu decoctum ordinarium.

Die 10ma. Nox inſomnis, deliria blanda. Mane pulſus frequentiſſimi, perexiles et vix perceptibiles. Aderant ſimul praeter dicta phaenomena tendinum ſubſultus, abdomen, etſi alvus aperta, inflatum ac tenſum. Ordinatum eſt:

℞. Cort. peruv. Unc. unam.
coq. c. aq. commun. libra una ad remanent. Unc. octo.
Col. Colat. adde
Liq. anod. miner. Hofm. Dr. unam.
Mell. opt. Unc. unam.
MDS. ut prius.

et

℞. Camph. c. f. q. spirit. vin. trit. Gr. tria.
Sacch. canar. Scrup. unum.
M. f. pulv. d. pro dosi, et dent. tal. dos. Nro duodecim.
S. Omni trihorio capiat dosin unam.

℞. Liniment. volat. camphor. Unc. duas.
Tinct. thebaic. Dr. duas.
MDS. ad inungendum abdomen.

Diaeta eadem, pro potu simul vinum aqua dilutum.

Vespere. Omnium symptomatum exacerbatio, caput magis occupatum, sopor et subsultus tendinum aucti.

Die 11ma. Nox insomnis, deliria continua. Mane symptomata supra allata parum imminuta fuere, diarrhoea simul aquosa aegram defatigavit. Continuabantur medicamina omnia, et ordinabantur insuper Laud. liquid. Sydenh. guttae decem ter in die sumendae.

Vespere. Eadem, ut heri, exacerbatio.

Die 12ma. Omnia eadem. Ordinabatur:

℞. Pulv. rad. serpentar. virgin. Dr. tres.
infund. c. aq. ferv. Unc. octo.
stet per quadr. horae in digest. tepida.
Col. In Colat. dissolve
Extract. cort. peruv. Dr. duas. Adde
Naphth. vitriol. Scrup. duos.
Syrup. cort. aurant. Unc. unam et dimid.
MDS. ut prius.

℞. Camph. q. f. spirit. vini trit. Gr. quatuor.
Sacch. canar. Scrup. unum.
M. f. pulv. pro dosi, et dentur tal. dos. octo.
S. Omni trihorio dosin unam.

Continuantur simul inunctiones paratae e linimento volatili camphorato, adiuncta tincturae thebaicae Drachma una.

Vespere. Symptomata recensita eadem. Meteorismum vero perfectum invenimus. Aegra in continuo delirio ac sopore est versata, ex quo nonnisi summo conatu potuit excitari, et excitata post brevissimum tempus iterum in eum recidit. Linguam ex ore proferre vix valuit, et prolatam referre oblita est. Loquela fere integra fuit abolita, et vix voces nisi balbutiendo proferre valuit, aegre discernendas. Continui tendinum subsultus, diarrhoea adhuc eadem, meteorismus, ut supra diximus, et pulsus vix tangendi. Corpus ad genua inclinatum procubuit, et aegra motui nulli peragendo par fuit.

Die 13tia. Mane idem fuit status, ut vesperi diei antecedentis. Hinc mixturae ultimae adiecimus Scrupulum unum naphthae vitrioli. Continuavimus praeterea pulveres ex camphora, atque Laud. liquid. Sydenh. guttas quindecim ter in die sumendas. Porro praescripsimus:

℞. Cort. peruv. groff. mod. concis. Unc. unam et dimid.
decoq. c. s. q. aq. commun.
Col. Colat. Unc. octo adde
Vini generosi Libr. dimid.
MDS. pro fomentationibus abdominis.

℞. Decoct. cort. peruv. Unc. octo.
Liq. anod. miner. Hofm. Dr. duas.
Mucil. gum. arab. Unc. unam.
MDS. pro clysmatibus ter per diem iniiciendis.

Pro diaeta iusculum carnis ac iusculum e vino et ovo paratum alternatim porrigendum. Pro potu vinum aqua dilutum ac potus ordinarius.

Vespere. Exacerbatio levior, subsultus rariores, deliria nulla, sopor et pulsus idem, ut et virium prostratio; diarrhoea nulla.

Die 14ta. Omnia meliora: caput minus occupatum, deliria fere nulla; ſopor remiſit; iam magis diſtincte loqui valuit aegra; facies laetior, reſpiratio liberior, pulſus magis elevati ac minus frequentes, ſitus in lecto erectus; ad genua non amplius corpus procubuit; meteoriſmus ultra dimidium decrevit, et diarrhoea nulla, alvus tamen aperta. Continuata ſunt medicamenta omnia, ſolummodo infuſi loco e rad. ſerpentariae virgin. parati aegrae valde faſtidioſi praeſcripſimus:

℞. Extract. cort. peruv. Dr. duas.
ſolv. in aq. font. Unc. octo. Adde
Naphth. vitriol. Dr. unam et dimid.
Mell. opt. Unc. unam et dimid.
MDS. ut prius.

Veſpere. Status idem.

Die 15ta. Magis magisque vires redeunt; pulſus tardiores adhuc et fortiores; diarrhoea nulla, nullus fere abdominis tumor, atque redux paulatim ciborum adpetitus. Reſpiratio libera, nullum delirium, nullus ſopor. Omittuntur fomentationes ex china et vino confectae, ut et clyſmata. Continuatae vero ſunt inunctiones ex linimento volatili camphorato ac tinctura thebaica abdominis regioni inungendae, ac mixtura ultima.

Veſpere. Status idem.

Die 16ta et 17ma. Eadem.

Die 18va. Vires ſenſim reſtauratae videntur, ac etiam corporis toroſitas. Omnia phaenomena recenſita evanuere. Pro diaeta portio quadrans, et vinum aqua dilutum pro potu. Ordinavimus inſuper:

℞. Pulv. cort. chin. Dr. ſex.
coq. c. aq. comm. libra una ad remanent.
Unc. ſeptem. Col. Colat. adde

Liq. anod. miner. Hofm. Dr. unam.
Mell. opt. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

Die 19na. Optime dormivit aegra, bene adpetit; accuſat ſolummodo debilitatem ac fluorem album. Quare quum iam ex vitae ratione aegra nobis ab initio ob luem veneream ſuſpecta videretur, neque foetor, quem e toto corpore ſparſit, per febris decurſum imminutus, atque eius indolis eſſet, ut in ſyphiliticis percipi ſolet, denuo exploravimus genitalia et partes adiacentes, invenimuſque praeter fluorem album condylomata varia, orificium inteſtini recti obſidentia. Hinc, viribus magis iam reſtauratis, praeter decoctum chinae ordinavimus ſequentem pulverem:

℞. Calomel. opt. Gr. unum.
Opii puriſſ. Gr. dimid.
Sacch. alb. Scrup. unum.
M. f. pulv. pro doſi, et dent. tal. doſ. ſex.
S. Omni mane ac veſpere capiat doſin unam.

Condylomatibus vero ſaepius per diem adplicabatur ſequens ſolutio:

℞. Mercur. ſubl. corroſiv. Gr. tria.
ſolv. in aq. font. Unc. quatuor.
DS. pro uſu externo.

Die 20ma et 21ma. Eadem. Noctes quietae, pulſus ut in ſtatu ſano, adpetitus bonus, vires corporis auctae. Continuantur ſingula.

Die 22da. Fluor albus imminutus, et condylomata plurimum evanuere Cetera eadem.

Die 23tia, 24ta et 25ta. Eadem.

Die 26ta. Minus adhuc è genitalibus profluvium et condylomata minora. Quum vero ſigna adparerent ſalivationis imminentis, omittuntur pulveres ex calomele, continuatur ſolutio Mercurii

ſublimati corroſivi condylomatibus adplicanda, et chinae decoctum, ſimulque laudani liquidi Sydenhami guttae quindecim mane ac veſpere porrigebantur.

Die 27ma. Saliva copioſa ore effluxit, et magnum ſimul etiam laſſitudinis ſenſum accuſat aegra. Continuantur, quae heſterna die ordinata fuerunt.

Die 28va. Salivatio imminuta, laſſitudo eadem. Medicamina ultima continuantur.

Die 29na. Omnia, ut heri.

Die 30ma. Salivatio nulla, fluor albus ac condylomata disparuere omnino, ſuperſtite tamen laſſitudine quadam. Decoctum chinae die 8va Novembris ordinatum inter lautiorem cibi vinique uſum continuatur ſolummodo.

Die 1ma Decembris. Corporis vires in eum iam gradum reverterunt, ut totam per diem aegra extra lectum verſari atque obambulare valeret. Ceterae functiones in ſtatu ſano obſervantur. Medicamina ac diaeta continuantur, usque dum aegrae vires, quae de die in diem increverunt, omnino reſtitutas vidimus, et aegra hucusque valde emaciata, inter illorum uſum corporis toroſitatem nacta, perfecte ſanata die 20ma Decembris e noſocomio dimiſſa eſt.

Heller.

Amenorrhoea.

I.

Magdalena Amann, Wirceburgenſis, 20 annos nata, laxa ac tenuiori fibrarum compage praedita, a teneris iam ad vitam ſuſtentandam ancillae munere ſat difficili per decem annos integros fungebatur, quin ulli unquam morbo ſuccumberet.

Duobus abhinc annis menſtruorum primitiae adparuere, eaque per 14 fere menſes ſueto ordine fluxere. Ex eo vero tempore puella varias menſtruationis turbas ſine notabili cauſa percepit: mox ſilebant menſes omnino, mox ſtillabant quantitate iuſto minore. Ortas inde morboſas adfectiones venae ſectione fere ſemper profligare conabatur. Aſt ſymptomata morboſa, infra recenſenda, et numero et vehementia nimio venae ſectionis uſu, atque neglecta neceſſaria ope medica augebantur, exſpectataque menſtruatio nunquam rediit. Inter hasce calamitates muneri ſuo fungendo omnino impar adiit noſocomium, atque recepta fuit die 28va Octobris.

Faciem invenimus lugubrem, pallentem ac tumidam, quae in chloroticis ſic dictis obſervari ſolet. Vidimus in aegra moeſtitiam quandam ac omnium muſculorum ad motus torporem. Ceterum conquerebatur aegra de cephalalgia, vertigine, clavo hyſterico, conſtrictionibus laryngis, dyſpnoea, tuſſicula ſicca, cordis palpitatione quovis motu aucta, cardialgia, anorexia, adſumtis cibis facile digerendis ventriculi preſſione. Abdomen fuit tumidum ac durum, alvus tarda, urina pallida. Vexabatur porro lumborum ac dorſi doloribus lancinantibus, artuum dedolatione et languore. Pedes oedemate tumuere, ac pulſus fuerunt modice frequentes et exiles. Ordinabatur:

℞. Tinct. Valer. Liq. anod. miner. Hofm. parat. Dr. duas.
Eſſent. caſtorei Dr. unam.
MDS. Ter in diem guttas triginta.

℞. Flor. chamomill. Manip. duos.
DS. pro infuſo theiformi.

Diaeta conſiſtebat e portione quadrante, ac potus ordinarius e vino aqua diluto. Regimen modice calidum.

Hisce ad diem 2dam Novembris continuatis obſervavimus ſymptomata numero ac vehementia decreviſſe ſenſim ita, ut mane eiusdem diei pallor ac tumor faciei omnino ſublati eſſent, caput non amplius doleret, neque vertigine eſſet adfectum. Reſpiratio multo liberior fuit, adpetitus bonus, pulſus magis elevatus ac tardior. Perſtabant tantummodo artuum laſſitudo, tumor ac durities ventris, oedema pedum, dolores dorſi lumborumque, et cordis palpitatio atque dyſpnoea quovis motu auctae. Hinc ordinavimus:

℞. Aq. menth. piperit. Unc. tres.
— cinamom. ſ. v. Unc. unam.
Tinct. martis pomat. Unc. dimid.
Tinct. Valer. Liq. anod. miner. Hofm. parat. Scrup. duos.
Syrup. cort. aurant. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

Inter diaetam ex portione dimidia et vino aqua diluto concedebantur quoque leves corporis motus.

Continuata ſunt haec medicamina ad 6tam Novembris tam felici eventu, ut omnia moleſta ſymptomata ſupra dicta evaneſcerent. Conqueſta eſt ſolummodo aegra de vehementioribus dorſi, lumborum imique ventris doloribus, ac maiore extremitatum inferiorum dedolatione et ventris inflatione. Iniiciebatur itaque clyſma ex infuſo flor. chamomillae, et adplicabatur ſaepius per diem balneum vaporis ad genitalia. Medicamina ultima ſeponebantur.

Die 7ma. Catamenia fluxere, dolores dicti atque ventris inflatio disparuerunt. Omnes functiones in ſtatu ſano fuere, et aegra ſat alacris ſe ſanam eſſe adfirmavit.

Poſt tres dies, ex quo ſine moleſtia menſes iterum ceſſavere, continuavimus per quatuor dies ul-

timam mixturam, et denique ad firmandam sanitatem ordinavimus sequentia:

℞. Aethiop. martial. Unc. dimid.
Extr. amari Dr. duas.
Pulv. rad. rhei elec. Dr. unam.
M. f. c. extr. Tarax. q. s. pil. pond. Gr. duorum.
Consperg. pulv. cort. cinamom.
DS. Mane, ad meridiem et vesperi sex.

Diaeta eadem.

Inter usum horum medicaminum quum morbi symptomata omnino cum ipso morbo dissipata essent, atque functiones omnes in statu tam sano versarentur, ut munere suo iterum fungi valeret aegra, die 23tia Novembris e nosocomio dimissa est, monita, ut pilularum usum per aliquod adhuc tempus ad firmandam sanitatem continuaret.

Heller.

II.

Anna Maria Frost, Gerlachsheimensis, 34 annos nata, a parentibus egenis inter omnem miseriae sortem, quod victum, vestitum, domicilium &c. adtinet, educata, iam a prima iuventute multis, quas exponere nescivit, valetudinis molestiis cruciata fuit. Ad 10mum aetatis annum nondum provecta ob summam paupertatem ancillae munus, ambigua licet sanitate, subire coacta fuit. Corpus tenerum, emaciatum multo ac gravi labore agresti, omnibus aeris iniuriis, calori frigorique expositum, victu semper farinaceo ac leguminibus nutritum, variis animi pathematibus, moerore praecipue, adflictum sanitatem tum temporis nunquam recuperare potuit. Interim omni, qua poterat, virium conten-

tione munere ſuo fungebatur. Anno 18vo menſtruorum primitiae fluxere, corpore tum magis vigente variisque aegritudinibus imminutis. Sat incolumis ipſa, regulariter ſemper fluentibus menſtruis, inter gravia ancillae munera vixit. Tribus autem abhinc menſibus fluentia catamenia, quum nudis pedibus per duas horas in aqua frigida incederet, ſubito ſiluere, atque non multo poſt ingurgitatis ſimul variis cibis difficillime digerendis ſecutae ſunt ventriculi moleſtiae, preſſiones, nauſea ac vomitus. Ceſſantibus hiſce acceſſere anorexia, praecordiorum oppreſſio, ſitis, alvi tarditas, ructus, flatus, reſpiratio difficilis, cordis palpitatio, omnia brevi exaſperata. Porro capitis dolor, aurium ſuſurrus, vertigo, inſomnia, artuum dedolatio, laſſitudo, habitus corporis leucophlegmaticus, faciei pallor, oedema pedum, quibus ſenſim adauctis, quum aegra nullum auxilium quaereret, ac munere ſuo ſemper fungeretur, ſe adſociarunt macies, febris, tuſſicula ſicca, ac ulcera crurum, quae ichorem foetidum ſpargebant. Inter haſce calamitates tandem noſodochium adiit, et die 24ta Novembris recepta eſt.

Die 25ta, qua examinavimus aegram, invenimus colorem faciei e flavo palleſcentem ac luridum, oculos in cava reductos, arcu coeruleo cinctos, faciem triſtem, animum deiectum, et omnia iam allata ſymptomata. Inſuper tumuit venter, cuius notabilis ſub adtactu durities percipiebatur. Pedes oedemate turguere, ulceribus paſſim obſeſſi, quae, marginibus lardaceis et duris cincta, faciem inveteratorum prae ſe tulerunt. Effluxit ex iis ichor cruore mixtus peſſimi foetoris. Laſſitudo corporis tanta adfuit, ut aegra vix pedibus corpus ſuffulcire poſſet. Pulſus fuere debiles et perfrequentes. Prae-

ter iam dictas pectoris adfectiones adparuere ſimul tuſſicula ſicca, reſpiratio difficilis, dolores pectoris lancinantes, fugitivi; quibus acceſſere frequentes horripilationes calore alternantes. Ordinabatur:

℞. Vin. antim. Huxh. Dr. duas.
Tinct. thebaic. Dr. unam.
MDS. Capiat omni trihorio guttas triginta quinque.

℞. Flor. ſambuc. Manip. unum.
DS. Pro potu theiformi.

℞. Liniment. volat. Unc. duas.
DS. Ad pectus inungendum.

Alvus clyſmate e decocto ſpecierum emollientium ſollicitabatur. Ceterum diaetam plenam, pro potu decoctum ordinarium praecepimus ac regimen modice calidum. Ulcera deligatione ſimplici ac munditie curabantur, et aegra ſitum pedum horizontalem ſummamque quietem obſervare debuit.

Die 26ta. Nox tuſſi turbata, alvus clyſmate ſoluta. Cetera eadem, ut et ordinatio.

Die 27ma. Nox tranquillior, tuſſis ac dolores pectoris lancinantes remiſere; nulla plane capitis adfectio, reſpiratio libera, ſitis et calor nullus, neque febris; mador totius corporis; alvus aperta. Cetera eadem.

Die 28va. Nox ſatis quieta, tuſſi ſicca et moleſta tantum paſſim turbata. Pulſus rarior, nec tam debilis. Cetera eadem. Continuavimus medicamina.

Die 29na. Eadem. Venter mollis detumeſcere coepit. Accedebant dolores lancinantes imi ventris ac dorſi. Continuavimus ſingula.

Die 30ma. Nox inquieta. Mane fluebant catamenia, multo aegrae levamine. Omnes pectoris adfectiones ac laeſae digeſtionis phaenomena evanuerunt. Habitus vero aegrae idem atque laſſitudo.

Pulſus modice frequens et debilis. Continuantur ſingula praeter linimentum.

Diebus 1ma, 2da et 3tia Decembris fluere menſes pergebant. Noctes quietae; tuſſis raro ſomnum turbavit, per diem fere nulla. Functiones praeterea in ſtatu ſano; adpetit aegra; pulſus debilis obſervatur. Ceterum maior adeſt corporis vigor: aegra e lecto ſurgit atque deambulat, quod vero ob crurum ulcera interdiximus. Continuata ſunt medicamina.

Die 4ta. Ceſſant menſes. Cetera eadem. Ordinatur:

℞. Pulv. rad. Valer. Unc. dimid.
infund. aq. fervent. Unc. ſex.
Col. In Colat. diſſolve
Extract. amar. Dr. duas. Adde
Liq. anod. miner. Hofm. Scrup. duos.
Mell. depurat. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

Pro diaeta portio quadrans, pro potu vinum aqua dilutum. Regimen modice calidum, ac ob pedum ulcera, quae ſanationi proxima videbantur, quies ac faſcia pro infirmitate.

Die 5ta ad 13tiam. Continuavimus haec ordinata, increſcentem functionum vigorem obſervantes. Oedema pedum ac ulcera perfecte fuere ſanata. Laſſitudo nulla. Aegra alacris colorem faciei pallidum quidem, ſed rubedine interſperſum prae ſe fert: maius corporis incrementum exhibuit, et ſine moleſtia deambulavit. Ordinavimus ſequens:

℞. Aethiop. martial. recent. parati Unc. dimid.
Extract. trifol. fibrin. Dr. duas.
Pulv. rad. rhei elect. Dr. unam.
M. f. c. extract. abſinth. q. ſ. l. a. pil. pond. Gr. duorum. Conſperg. pulv. cort. cinam.

DS. Mane, ad meridiem ac veſpere ſumat pilulas quinque.

Diaeta ac regimen eadem.

Hisce continuatis aegra maius corporis incrementum omniumque functionum maiorem vigorem adquiſivit, et die 23tia Decembris e noſocomio perfecte ſanata dimiſſa eſt. Solum, quod adhuc adnotare licet, fuere vermes, quorum ſedecim ex alvo viribus iam reſtitutis ad finem morbi inter pilularum uſum ſine incommodo excrevit. Hisce adparentibus addidimus pilulis ſequentem mixturam:

℞. Pulv. rad. Valer. Unc. dimid.
Sem. Cinae Dr. duas.
infund. aq. fervent. Unc. ſeptem.
Col. Colat. adde
Mell. optim. Unc. unam.
MDS. Omni hora cochlear unum.

Aſt quum nulli amplius excreti fuerint vermes, ſepoſuimus hanc mixturam per ſex dies continuatam, continuavimusque ſolummodo pilulas iam dictas. Quod vero vermes hi effectus debilitatis, non cauſae morbi fuerint, ſatis evidens eſt, quum nempe ſub morbi finem exceſſerint, ubi aegra ſuas iam recuperaverat vires, quas nunquam, ſi vermes fuiſſent morbi cauſae, recuperare potuiſſet. Interea vermes multum ad malum adaugendum contuliſſe, nemo denegabit.

Billing.

DECEMBER.

Dies 1ma et 2da ventosa, noctes vero pluviosae. 3tia et 4ta ingrata ac ventosa tempestas. 5ta et 6ta glacies, frigida ventosaque tempestas. A 7ma ad 12mam frigida et serena. Die 13tia frigida et ventosa. Die 14ta et 15ta tempestas calida, nebulosa ac pluviosa. Die 16ta vero ac 17ma decidere pluviae. Die 18va ac 19na coelum nubibus tectum, nebulosa pluviosaque tempestas. Die 20ma frigida, glacies et nives decidere. A 21ma ad 24tam glacies ac frigus. Die 25ta decidere nives; ast perfrigida tempestas. Die 26ta frigidissima. Die 27ma perfrigida. Die 28va frigida, et per noctem decidere nives. Die 29na frigida. Die 30ma eadem, ast nives decidere. Die 31ma frigus mitius et coelum serenum.

Continuabant, de quibus mense priore mentionem feci, pleuritides, anginae, catarrhi, rheumatismi, eadem ratione decurrentes, eandemque tractandi methodum postulantes. Ceteri, qui notatu digni erant, morbi sunt convulsiones *hystericae*, moscho sanatae; fluxus hepaticus, de quo vero alio loco differam; icterus ab obstructione hepatis, ut ex morbi historia elucebit, ortus, et denique phthisis pulmonalis, cuius quidem decursum observavi non solum hoc mense, sed iam inde a mense Octobre usque ad finem huius, quo tandem aegrum, exulceratione pulmonum antea penitus consumtum, perfecte sanatum e nosocomio dimisi. Felicis eiusmodi curationis casus raro occurrit, et absit a me, ut arti aut peculiari tractandi methodo tribuam, quod viribus naturae aut potius incitabilitati organismi animalis iusto moderamine excita-

tae iure convenit. Aeger, quod mirum eſt, per nycthemeri ſpatium ultra dimidiam menſuram puris e pulmonibus tuſſi eiecit, quod per plures immo dies quotidie obſervavi. Acceſſerat ſimul ultimum phthiſeos ſtadium, febricula, corporis emaciatio, ſumma debilitas, diarrhoea ac ſudor colliquativus, oedema pedum, quae omnia per plures dies ita perſtabant, ut de ſanatione aegri deſperarem. Tandem aegri viribus ſenſim ſenſimque reſtauratis adfulgebat ſanationis ſpes, quin tamen dubitare deſinerem, an fuerit morbus perfecta pulmonum conſumtio ulceribus progenerata, an tantum vomica. Vix legitur exemplum phthiſeos ab exulceratione ortae in ultimo ſtadio ſanatae. Puris quoque per nycthemerum exſcreati copia tanta fuit, quanta fere nunquam in phthiſi purulenta obſervatur. Denique morbus praegreſſus fuit peripneumonia ſthenica, qua quum praeter pulmonum ulcera, ſi negligatur, et vomicas procreari conſtet, pulmones potius diverſis impletos fuiſſe vomicis arguere, quam morbum ulceribus tribuere mallem, quod vero diiudicandum aliis lubenter relinquo. Ulcera ſi adfuiſſent intra pulmonum parenchyma, tam brevi tempore ſanata certe non fuiſſent, quum in viſcere ſpongioſo, multa tela celluloſa praedito, ulcera non facile ſanationem admittere notum ſit, atque in pulmonibus parenchymate tam laxo conſtructis tum ob continuum motum, quum ob aeris ingreſſum ulcera eiusmodi continuo irritentur ita, ut cicatriſationem ac ſanationem ſubire haud valeant. Ex rationibus vero ſupra allatis iudicare licet, vomicas ab inflammatione neglecta fuiſſe ortas, pulmonumque ſuperficiem tantum occupaſſe. Quare maiorem etiam puris copiam, quin ipſa pulmonis ſubſtantia laederetur, profundere potuerunt. Vomicae igitur in

ſuperficie pulmonum tantummodo verſantes, quum eas comitaretur continuo inflammatio aſthenica, facile ipſis ſuis parietibus ac pleurae adnectebantur, immo cum his ope lymphae plaſticae ſecretae concreſcebant, dein pedetentim ita coarctatae, ut minorem puris quantitatem continerent, ac denique perfecte cicatriſatae ne guttam quidem puris emitterent. Quum ergo ipſe pulmonum organiſmus hoc vitio locali minime in ſua turbaretur functione, atque integer ſemper maneret; facile intelligitur, quare morbo ſuperato nullae pectoris moleſtiae adparerent, et quare corporis vigor atque incrementum rediret.

Convulſiones hyſtericae.

Chriſtina Hirſchl, Ratisbonenſis, 22 annos nata, corporis conſtitutione gracili et, quoad ex viſu diiudicare licet, ad hyſteriam valde prona, ob rerum domeſticarum anguſtiam iam ab 8vo aetatis anno ancillae ſervitium ſubire cogebatur. Qua vitae ratione non parum difficili a teneris iamiam licet uſa ſit, ſat bene tamen valuit, nullique morbo graviori ſuccubuit. 16to aetatis anno fluxum periodicum, et moleſtiis quidem multis procedentem, primo experta eſt; vertigine enim capitis, reſpiratione anxia, cardialgia, nauſea ac vomituritione, doloribus circa regionem lumbarem et genitalium ſat vehementibus vexabatur. Iisdem vero ſymptomatibus mox mitioribus, nonnunquam etiam magis impetuoſis, menſtruatio per annum integrum conſecuta eſt, quam in poſterum ſumma cum euphoria pertulit. Ante tres vero annos quum tempeſtate adverſa intra menſtruationis tempus multum exagitaretur, menſes ſubito evanuerunt. Non ita multo

post puella doloribus colicis, dyspnoea & cephalalgia vehemente per triduum excruciabatur. Quo elapso dolores quidem plurimum remiseresed aliud malum non minus grave eos excepit. Convulsiones enim vehementes maiori minorive tempris intervallo redeuntes ac per anni quadrantem ndurantes aegram invaserunt. Multa licet huic malo vires valdopere debilitanti remedia opponert, morbus tamen per illud tempus simili fere vehmentia crevit. Menses intra hoc tempus nullo se vestigio manifestarunt; iis vero vita quietiore procedentibus malum ipsum quoque omnino cessavit. Sic per tres annos sat bene iterum valuit, nullisque amplius in menstruando molestiis conflictata est. Sed 3tia die huius mensis, quum pridie intra mensium tempus fortissime saltaverat, et simul corpore valde aestuante vini et aquae frigidae magnam copiam subito ingesserat, aerique frigido repetitis vicibus sese exposuerat, menses, ut prima vice, subito cessarunt, et altera die summo mane, ut antea, convulsiones vehementissimae eam invaserunt, post unius aut plurium horarum spatium tam vehementer redeuntes, ut coercendae aegrotae tres viri vix pares fuerint. Porrigebantur statim remedia sic dicta antispasmodica, valeriana, essentia castorei similiaque, quae convulsiones quidem mitigarunt, sed neutiquam amoverunt.

Hac sub conditione sequenti die in nosocomium delatam iisdem convulsionibus aliquoties adflictam vidimus. Dolor praecesserat ex umbilici regione adscendens usque ad laryngem, ac convulsiones aegram dein adgrediebantur: mentis incompos humi procubuit: oriebantur iactitationes extremitatum in omnes partes vehementes ac impetuosae; corpus nonnunquam incurvabatur in arcum, per

quem et aoleto viro tranſitus pateret. Oculi clauſi, et pollices, ut in epilepticis occurrit, introrſum recurvati fuere. Pulſus parvi, frequentes, et interdum intermittentes. Ordinavimus:

℞. Moch. opt. Gr. tria.
Sacch. alb. Scrup. unum.
M. f. pulv. et dent. tal. doſ. Nro duodecim.
S. Omni trihorio doſis una.

Die 5ta. Bis modo in die convulſionibus multo levioribus, quam heri, inter continuatum moſchi uſum adfligebatur aegra; nam praeter motus convulſivos in extremitatibus, ſuperioribus maxime, nulla aderat mentis abolitio, nulla, iis finitis, artuum laſſitudo. Continuavimus pulveres ex moſcho.

A die 6ta ad 8vam. Nullis usquedum convulſionibus vexabatur aegra. Interea pulſus obſervavimus frequentes adhuc et debiles, ceteras functiones integras. Ordinavimus:

℞. Extr. cort. peruv.
— amar.
Aſſ. foetid. aa. Dr. unam.
M. f. l. a. pil. pond. Gr. duorum.
Conſperg. pulv. cort. cinam.
DS. Omni bihorio pilulas quatuor.

et

℞. Tinct. mart. anod. Beſtuſcheft. Dr. duas.
DS. Ter in die guttas quindecim.

Die 9na. Aegra nullis usquedum convulſionibus vexata, poſt refrigerium contractiones manuum ſpaſmodicas aliquoties per diem redeuntes animadvertit, ſimul etiam dolores incuſat laryngis ac deglutiendi difficultatem. Ordinabantur praeter medicamina heſterna pulveres ex moſcho iam antea deſcripti.

Die 10ma. Nil incusat aegra, nisi memoratum colli dolorem, quem initio a constrictionibus spasmodicis exortum esse putavimus. Eo autem fixo ac pertinaciter continuante fauces exploravimus, atque lenem invenimus tonsillarum inflammationem catarrhalem, cum excoriationibus quibusdam coniunctam. Quare ordinavimus:

℞. Aq. flor. chamom. Unc. octo.
Spir. Minder. Unc. unam.
Vin. antim. Huxh. Dr. unam.
Mell. opt. Unc. unam.
MDS. Omni hora cochlear unum.

℞. Flor. samb.
Rad. alth. aa. Unc. duas.
MDS. Species pro gargarismate.

℞. Mell. rosar. Unc. quatuor.
DS. Gargarismati admiscendum.

A die 10ma usque ad 13tiam. Remediis hisce continuatis inflammatio non solum, sed et excoriationes omnino cessarunt; lassitudinem modo adhuc artuum accusat; pulsus modice frequentes, exiles ac parvos invenimus. Ordinavimus porro tincturam martis anod. Bestuscheft. et sequentes pilulas:

℞. Aethiop. martial. Unc. semis.
Pulv. rad. rhei elect. Dr. unam.
Extr. trifol. fibrin. Dr. duas.
— Tarax. q. s. ut. f. l. a. pil. pond. Gr. duorum.
consperg. pulv. cort. cinam.
DS. Ter in die pilulas sex.

Continuavimus hasce ad diem 16tam, qua vidimus corporis torositatem increscentem, et functiones omnes cum facilitate et oblectamento procedentes. Continuato pilularum usu licet menstruatio nullis se signis per reliquos dies manifestaret, aegram

tamen, nullas inde molestias sentientem atque desiderio ad suos redeundi flagrantem, die 19na Decembris dimisimus, quum ceterae functiones optime procederent, atque spes nobis esset, fore, ut mensium fluxus inter diaetam congruam ac moderatum corporis motum iusto tempore se sistat.

Heller.

Icterus.

Elisabetha Kuhn, Mellerichstadiana, annum agens 42dum, temperamenti, quod vocant, cholerico phlegmatici, ancilla apud rusticum quendam in vico Hausen, a prima iam iuventute parentibus privata, laboribus gravioribus victum acquirere coacta fuit, semperque omnibus iniuriis tempestatis fuit exposita; cibo utebatur vili, potu vino acerbo et aqua. Anno 20mo menses fluere coeperunt, qui ab illo tempore nunquam intermiserunt. Per iuventutis periodum praeter morbos infantiles aliquoties febre intermittente laboravit, qua tamen sine medicaminum usu mox liberata, satis bona gavisa est sanitate, usquedum undecim ante annis, quin evidentes praecessissent causae, dolor in regione epigastrica ortus est, qui mox vehementior, mox mitior, altiorem tandem adsecutus est gradum, abdomen tumuit, ac quum corpus incurvaret, aut onera tergo gestaret, aut quum brevi post coenam cubitum iret, aut in tergo iaceret, gravissimos semper dolores in dicta regione sensit. Ob hosce cruciatus saepius per annum venam sibi secandam curavit, qua incisa dolores minuebantur. Initio vero huius anni, quum dolores in diem exasperarentur, a Medico quodam, quem consuluit, accepit purgans vehemens, quod saepius repetiit, et varias species

pro potu. Quibus tamen remediis,tantum abfuit,ut dolores lenirentur, ut potius magis magisque debilitata victum labore fueto fibi comparare non amplius valeret. Hinc fororem, quae in alio vico habitabat, auxilium rogandi gratia adiit:. aft quum eam omnibus bonis privatam reperiret, valde adflicta quatuor ante hebdomadibus ad priftinum domicilium rediit. Mox vero abdominis dolores fupra memorati augebantur; iisque auctis in icterum incidit. Eo in ftatu Medicus confultus ordinavit Vinum antimonii Huxhami et Laudanum liquidum Sydenhami pro ufu interno, ac fpecies pro potu, porro linimentum volatile camphoratum ad illinendum locum dolentem. Quibus quamquam uteretur remediis, morbus eodem gradu perduravit. Adiit itaque nofodochium, et die 28va Novembris recepta eft. Inftituto examine fequentem invenimus ftatum. Superficies totius corporis et oculi albuginea erant flavo colore tincta; pes uterque erat tumidus praecipueque finifter; pulfus parvus et debilis; dolores capitis, praefertim in regione occipitali; haemorrhagia narium, fapor oris acidus; fenfus, quafi quid ex imo ventre adfurgeret; abdomen paulisper tumebat; dolores fixi pungentes in regione epigaftrica dextra, qui digitorum preffione ac fe incurvando, feu fitu in dorfo augebantur. Ab adtactu regionis epigaftricae dextrae feveraque exploratione in cavo abdominis percipiebatur durities quaedam peripheriae volae manus, quam ratione fitus lobo anteriori hepatis tribuere potuimus. Haec durities cum tumore impediebat, quo minus infra coftas fpurias exploratio ope digitorum adhiberi poffet. Cibos non adpetebat praeter paulolum iuris; faeces erant durae et albae,urina e fufco flava. Calculos veficae felleae nunquam per alvum excre-

vit, neque per morbi decursum eos observavimus. Hinc tam ex his phaenomenis, quam ex praegressis symptomatibus ac potentiis, hepatis obstructionem cum debilitate iudicavimus. Ordinabatur:

℞. Mercur. dulc. Gr. unum.
Sulph. aurat. antim. Gr. dimid.
Sacch. alb. Gr. quindecim.
M. f. pulv. dent. tales doses Nro sex.
S. Mane et vesperi dosis una.

℞. Ass. foetid.
Extract. taraxic.
— — cicut.
— — trifol. fibr. aa. Dr. unam.
M. f. l. a. pil. pond. Gr. duorum.
consperg. pulv. cort. cinam.
DS. Ter de die quinque.

℞. Rad. Valer. gros. concis.
Flor. chamom. aa. Manip. unum.
MDS. ad clysmata, quorum per diem duo accipiat.

Pro diaeta portio quadrans, ac pro potu decoctum ordinarium ex speciebus emollientibus paratum.

Die 29na Novembr. Parum dormivit. Cibos adpetere incipit. Reliqua eadem. Remedia continuantur.

Die 30ma. Bene dormivit; sudavit; color flavus imminuitur; urina non amplius adeo fusca; dolores capitis leniores. Remedia continuantur.

Die 1ma Decembris. Per noctem multum dolore in regione epigastrica vexabatur; dormire non poterat; ructus acidi, pulsus subdurus, color flavus auctus, faeces molliores et flavae. Remedia continuantur.

Die 2da. Nox fuit tranquillior. Fluxus mensium causa pulveribus non utitur: reliqua remedia continuantur.

Die 3tia. Magis flavescit; menses adhuc fluunt; maiorem sentit dolorem in regione epigastrica. Remedia, praeter pulveres, continuantur.

Die 4ta. Symptomata eadem. Fluxu mensium cessante, pulveres resumit. Reliqua continuantur.

Die 5ta. Symptomata eadem. Medicamina continuantur.

Die 6ta. Bene dormivit, sudavit; color flavus est imminutus, dolores leniores, nec durities in regione epigastrica tanta; cibos adpetit; alvus aperta; urina magis adhuc a fuscitate recessit; pedes non amplius tumidi, pulsus bonus. Pulveres hodie non sumit, propter dolores dentium et saporem metallicum. Pilulae, clysmata et inunctio linimenti volatilis camphorati continuantur.

Die 7ma. In regione epigastrica maiores sentit dolores; cutis sicca, color flavior, dolores capitis, urina flavior. Remedia continuantur praeter pulveres.

Die 8va et 9na. Dolores capitis aeque ac in regione epigastrica imminuti: reliqua symptomata eadem. Remedia continuantur praeter pulveres.

Die 10ma. Dolores capitis plane cessarunt, illi in regione epigastrica ac color flavus minuuntur; durities in regione epigastrica mollescit. Pulveribus iterum uti incipit. Pilulae, clysmata et inunctio continuantur.

Die 11ma usque ad 13tiam. Symptomata et medicamina eadem.

Die 14ta. Queritur de dolore vehementi in dextro abdominis latere, durities vero in regione epigastrica minuitur; color cutis ac oculi, quales in sanis fere esse solent. Remedia continuantur.

Die 15ta usque ad 19nam. Dolores magis magisque minuuntur: reliqua symptomata eadem. Medicamina continuantur.

Die 20ma. Dolores plane cessaverunt; color cutis paululum modo adhuc flavescit. Quia post usum pilularum dolcrem sentit in ventriculo urentem, accipit:

℞. Extract. tarax. Unc. dimid.
— — trifol. fibr. Dr. unam.
Aq. meliss. Unc. sex.
Liq. anod. miner. Hofm. Dr. unam.
Syrup. cort. aurant. Unc. unam.
MDS. Quovis bihorio cochlear unum.

Pilulae et pulveres non repetuntur. Clysmata et inunctio linimenti volatilis camphorati continuantur. Pro diaeta portio dimidia.

Die 21ma. Symptomata et remedia eadem.

Die 22da. Iterum sentit dolores in regione epigastrica, sed non continuantes ut antea; durities in illa regione mollescit, colorque cutis magis magisque ad statum sanum revertit.

Die 23tia. Symptomata et remedia eadem.

Die 24ta. Color cutis flavus plane disparuit; dolores in regione epigastrica cessarunt; omnes functiones sanae. Clysmatibus exceptis reliqua medicamina continuantur. Vinum aqua dilutum pro potu.

Hisce remediis per reliquos dies continuatis, quum omnes functiones sanas et integras observavimus, aegrotam omnino restitutam die 10ma Ianuarii 1799 dimisimus.

Seiler.

Vomica pulmonum.

Iosephus Resmann, natus in Carniola superiore, 23 annos natus, Coriarius, corporisque sat validi, nulli unquam morbo succubuit. Tres ante menses, quum iter faceret per Saxoniam tempestate

tum valde calida, frequentiſſimis ſeſe expoſuit refrigeriis, ac vini et cereviſiae magnam copiam ingurgitavit, tantoque Nicotianae fumo uſus eſt, ut ob oris ſiccitatem ne verbulum quidem amplius proferre poſſet. Non ita multo poſt dolorem quendam preſſorium in pectore, dyſpnoeam, capitis dolorem ac vertiginem, et horrorem cum aeſtu ſubſequente alternantem animadvertit. Symptomatibus hisce, quibus demum tuſſicula cum ſputis cruentis acceſſit, pedetentim increſcentibus, itineri continuando impar in oppido quodam commoratus eſt, ubi Medicum in auxilium vocavit, qui hanc peripneumoniam lenibus, ut videtur, antiphlogiſticis, venae ſectione neglecta, ſanare conabatur. Tandem convaluit aeger, et absque ſingulari difficultate, praeter ſenſum in pectore moleſtum, iter continuavit. Octo abhinc ſeptimanis huc advenit, et opificio operam dedit. Moleſta vero pectoris illa adfectione in diem increſcente, cui demum etiam tuſſis frequens cum ſputis acceſſit, negotio exercendo porro ineptus, in noſodochio auxilium quaeſivit, ubi etiam die 2da Octobris receptus eſt.

Hominem invenimus validum ac floridum, minimeque ex corporis habitu ad phthiſin praediſpoſitum, pulſum naturali haud frequentiorem, et functiones omnes in ſtatu ſano. Nil denique incuſat aeger, niſi ſenſationem quandam punctoriam ac preſſoriam in intimo pectore prope ſternum lateris dextri. Praeterea aeger tuſſi vexatur ſat frequente, praecipue per noctem valde inquietam, ſputis copioſis ex albo virideſcentibus, purulentis, foetidis et ſanguine nonnunquam interſtriatis concomitata. Foetor animadvertitur ex ore procedens continuus, tum praecipue notabilis, antequam tuſſit, ac ſputa eiicit. Nec horrorem nec aeſtum unquam

ſentit, atque exceptis hisce ſymptomatibus in pectore ſe exſerentibus ſanus videtur. Ordinavimus die 3tia, ubi aegrum inviſimus, ſequentes pulveres:

℞. Pulv. rad. Ipecacuanh.
Opii puriſſ. aa. Gr. ſemis.
Sacch. alb. Gr. quindecim.
M. f. pulvis pro doſi, et dent. tales ſex.
S. Mane ac veſpere capiat doſin unam.

Die 4ta. Eadem adhuc rerum conditio. Praeter continuationem pulverum ordinatorum praeſcripſimus:

℞. Rad. polygal. ſeneg. Dr. tres.
coq. c. aq. font. libra una ad remanent.
Unc. ſeptem. Col. Colat. admiſce
Mell. opt. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

℞. Lich. island. Unc. tres.
Rad. liquirit. Unc. unam.
MDS. Pro potu.

Medicaminibus hisce ad diem 12mam usque continuatis pectoris dolor ac foetor ex ore procedens moleſtus multo et ſputa ſunt imminuta. *Ordinatio* eadem.

Die 13tia. Iam morbus eadem iterum, qua in initio, ubi aeger noſocomium adiit, vehementia incedit. Dolor pectoris idem atque oris foetor; ſputa eiicit copioſa ſanguine multo florido tincta. Nox ob tuſſin inquieta. Praeter continuationem pulverum ultimo ordinatorum et potus ex Lich. island. ordinavimus:

℞. Pulv. gum. arab. Unc. ſemis.
ſolv. in aq. ferv. Unc. octo. Adde
Tinct. thebaic. Scrup. unum.
Syrup. alth. Unc. unam.
MDS. Omni hora cochlear unum.

Inter ufum continuatum horum remediorum usque ad diem 20mam de die in diem fymptomata omnia fupra recenfita obfervabantur valde imminuta; nam pectoris dolor fenfim remifit, ac tuffis et fputa multo rariora evafere. Continuantur fingula.

Die 21ma. Omnia eadem. Vefpere vero queritur aeger de magnis pectoris atque hypochondrii dextri doloribus, media nocte valde auctis; tuffis adaugebatur cum fputis purulentis copiofis. Clyfma e fpeciebus emollientibus levamen quoddam adtulit.

Die 22da. Mane dolores memorati eundem rurfus gradum, ut nocte, adtigerunt. Ordinabantur praeter continuationem mixturae ultimae vapores infufi florum fambuci faepius per diem infpirandi, mane ac vefpere clyfma emolliens et fequens fomentatio:

℞. Flor. chamomill.
Herb. Hyofc.
— — cicut. aa. Manip. unum.
MDS. Pro fomentationibus loco dolenti adplicandis.

Die 23tia. Pectoris atque hypochondrii dolores multo mitiores. Cetera eadem. Continuabantur fingula usque ad diem 31mam. Sub horum remediorum ufu dolores fupra dicti paulatim evanuere. Hinc fepofitis vaporibus infufi florum fambuci et fomentationibus continuatur folummodo mixtura ultima cum pulveribus fupra dictis.

A die 1ma usque ad 6tam Novembris. Tuffis ac fputa multo hucusque copiofiora evaferunt, ficut etiam dolor ille in pectore prope fternum fe exferens punctorius ac prefforius notabiliter increvit. Ordinatio eadem.

A die 6ta ad 8vam usque. Tuffis cum fputis magis magisque frequens evafit. Sputorum in primis

puriformium, foetidorum multoque ſanguine florido tinctorum dimidiam fere menſuram intra 12 horarum ſpatium eiicit. Pulſus parvi, debiles et frequentes ſemper obſervantur: ſenſatio urens palmarum manuum ac pedum, omni veſpere horror cum aeſtu ſubſequente fugaci exacerbat; oedema ſimul etiam pedum ſe oſtendit, artusque omnes ſenſus laſſitudinis occupat. Nox inſomnis. Hinc ordinavimus:

℞. Pulv. cort. peruv. Dr. ſex.
decoq. c. aq. font. libra una ad remanent.
Unc. octo. Col. Colat. adde
Mell. opt. Unc. unam.
MDS. Omni bihorio cochlearia duo.

℞. Pulv. rad. Ipecacuanh.
Opii puriſſ. aa. Gr. dimid.
Sacch. alb. Scrup. unum.
M. f. pulv. pro doſi, et dentur tales doſes ſex.
S. Omni mane ac veſpere capiat doſin unam.

A die 8va ad 18vam usque nulla conſecuta eſt mutatio. Tuſſis, ſputorum quantitas ac qualitas eadem, eadem adhuc artuum laſſitudo, ut et pedum oedema, atque febricula omni veſpere exacerbata. Interea decoctum corticis peruviani ob magnum aegri taedium inde perceptum ſeponere coacti pulveres ſolummodo cum lichene islandico pro potu continuavimus.

A die 18va ad 23tiam morbi conditio eadem.

Die 24ta ſputorum copia parum imminuta. Cetera eadem.

A die 24ta ad 30mam usque. Tuſſis ac ſputa paulatim decrevere, non ea amplius artuum laſſitudo. Pulſus ſimul etiam reperimus tardiores ac fortiores, febricula veſpertina nulla fere obſervanda. Nox raro per tuſſin turbata. Ordinatio eadem.

A die 1ma usque ad 6tam Decembris. Sputorum copia ultra dimidium decrevit, febris ac oedema pedum evanuere, corporis vires adauctae, respiratio libera, nullus fere pectoris dolor, pulsus tardi ac fortes.

A die 6ta ad 12mam. Omnia morbi symptomata evanuere, parca solummodo adhuc sputa eiiciuntur. Nox bona. Ceterum functiones in vigore versantur. Adpetitus bonus, ac pulsus in statu sano.

A die 12ma usque ad 20mam. Sputa pedetentim ita decreverunt, ut nulla amplius observentur. Nulla denique symptomata adparent in pectore morbosa; functiones omnes ut in statu sano procedunt. Hinc omnem medicamentorum usum seposuimus, ac diaetam solum lautam cum vino praescripsimus. Hisce continuatis aeger omnino restitutus die 30ma nosocomio excessit.

Post longum tempus, ex quo iam in urbe munere suo fungeretur, eum optime valentem, validum ac robustum vidimus, et neque tussi neque molestia in respirando, neque pectoris dolore se esse adfectum ipse adfirmavit.

Heller.

CONSPECTUS.

I.

Hiſtoria et deſcriptio Noſocomii Iulii.

II.
Observationes meteorologicae.

III.
Designatio aegrotantium omnium, qui a die 1ma Aprilis usque ad 31mam Decembris anni 1798 in instituto clinico versabantur.

IV.
Observationes medicae.

Errata.

Pag.	lin.		pro		lege
Pag. XIII	lin. 21	*pro*	propoſuit	*lege*	popoſcit
— XVII	— 24	—	cellae, penariae	—	cellae penariae
— XXV	— 3	—	lacrymali	—	lacrymabili
— XXXIV	— 4 ab ima	*pro*	liberori	*lege*	liberiori
— XL	— 2	—	pharmacopaeus	—	pharmacopoeus
— XLVI	— 7	—	proxima	—	proximae
— XLVIII	— 23	—	Pharmacopoeiae	—	Pharmacopoei
— LIII	— ult.	—	mendatio	—	emendatio
— LV	— 5 inf.		diffunditur	—	diffunduntur
— LIX	— 9 inf.		elegentiam	—	elegantiam
— LXIII	— 6 ſup.		maſculorum	—	et veſanarum
— LXIV	— 18	—	granarium	—	granarium (c)
— 30	— 1 et 16		Lichene	—	Lichen
— 48	— 13	—	auguntur	—	augentur
— 110	— 34	—	coſideranda	—	conſideranda
— 162	— 32	—	inkitium	—	initium
— 174	— 19	—	impetraſſent	—	impetraſſe
— 185	— 8	—	ſalis ammoniaci depurati	—	ſal ammoniacum depuratum

In nonnullis pagellis *pro* ſacharum *et* ſiphylis *corrigendum eſt* ſaccharum *et* ſyphilis.

DECEMBRE.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimissionis	Eventus curae
Ascites	22 Octob.		
Febris nervosa	28 Octob.	20 Dec.	Sanata
Mensium retentio	7 Novemb.	12 Dec.	Palliative sanata
Phthisis	10 Nov.		
Scabies	11 Nov.	15 Dec.	Sanata
Arthritis cum vomitu chronico	14 Nov.	14 Dec.	Sanata
Febris nervosa	21 Nov.	26 Dec.	Sanata
Amenorrhoea	22 Nov.	23 Dec.	Sanata
Icterus	26 Nov.		
Phthisis tuberculosa	27 Nov.		
Convulsion. hystericae	4 Decemb.	19 Dec.	Sanata
Tussis	16 Dec.		
Pleuritis	18 Dec.		
Pleuritis	26 Dec.	30 Dec.	Sanata
Pleuritis	31 Dec.		

	Viri.	Feminae.
Sanabantur	129	74
Palliative ſanabantur	9	14
Curam non exſpectavere	3	1
Dimittebantur	1	2
Moriebantur	4	9
Summa	146	100

Summa aegrotantium omnium 246.

Numerus mortuorum ſe habet ad num. curatorum, ut 1 ad 19.

In fine huius anni remanebant Aegroti 13. Aegrotae 7.

OBSERVATIONES METEOROLOGICAE.

MENSE APRILI.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
1	27''.	6,6'''	1, 6°	W. NW.
2	27	7,5	1, 5	NWN.
3	27	5,4	3, 5	NO. WSW.
4	27	4,5	9, 4	WSW.
5	27	6,3	15, 2	ONO. SW.
6	27	8,1	16, 1	WSW.
7	27	10,5	10, 4	O.
8	27	10,9	16, 4	W.
9	27	11,4	14, 8	W. NNO.
10	28	0,8	10,	NO.
11	28	1,3	12, 7	O.
12	27	11,1	9, 5	O.
13	27	8,9	9, 8	O.
14	27	9,1	12, 7	O. WWS.
15	27	8,6	14	W.
16	27	6,7	9	W.
17	27	3,7	14, 3	W.
18	27	4,6	12, 5	W.
19	27	3,3	9, 5	W. NW.
20	27	2,8	9, 5	NWN.
21	27	6,8	7, 2	NWN.
22	27	9,3	7, 9	NO.
23	27	8,8	7, 2	O.
24	27	8,2	7, 1	O. NON.
25	27	8,3	6, 8	W.
26	27	8,8	8, 8	WNW.
27	27	7,8	8, 4	N. NO.

MENSE APRILI.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
28	27''.	6,5'''	9, 9°	NO.
29	27	4	11, 1	ONO.SO.
30	27	4,2	11, 4	NON.

Hoc menſe

maxima Mercurii in barometro altitudo erat die 11ma hor. 8va 28,'' 1, 6'''

minima altitudo erat die 20ma hor. 2. pomerid. 27''. 2, 6'''.

Altitudo media per totum menſem erat 27''. 6,71'''

Calor maximus erat die 17ma hor. 3tia nimirum 23° in Sole

Calor minimus erat die 2da hor. 9. veſp. nimirum 0,3°

Calor medius per totum menſem erat 9,94°

MENSE MAIO.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
1	27''.	4,9'''	11, 3°	ONO.SW.
2	27	6,6	12, 2	NON.
3	27	7,7	14, 7	Variab.
4	27	6,8	14, 3	NW. NO.
5	27	6,8	12, 1	SO.O.
6	27	7,8	11, 9	N.
7	27	9	15, 8	NO.

MENSE MAIO.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
8	27''.	8,1'''	17, 6°	NO.
9	27	7,3	16, 5	W.NO.
10	27	6,6	16, 8	O.W.
11	27	5,5	12, 6	SW.
12	27	4,1	12, 2	SW.
13	27	4,5	13, 8	W.
14	27	4,4	10, 3	SWS.
15	27	5,6	13, 6	W.
16	27	7	15, 8	SW.
17	27	9,4	18, 3	W.
18	27	9,2	14, 8	NW.
19	27	10,5	14, 5	NW.
20	27	8,1	10, 5	WSW.
21	27	9,1	9, 7	NW.N.
22	27	10	8, 1	O.
23	27	8,1	11, 9	W.
24	27	7	10, 3	NO.
25	27	7,1	14, 5	W.SW.
26	—		—	—
27	27	6,7	12, 3	SWS.O.
28	27	5,7	14	O.
29	27	5,8	18	O.
30	27	6,4	18, 6	NON.
31	27	4,8	20, 7	NNO.

Hoc menſe
maxima Mercurii in Barometro altitudo erat die 19ma hora 8. matut. 27''. 11,8'''

minima altitudo erat die 12ma hora 2da 27''. 3,6'''

Altitudo media per totum menſem erat 27''. 7,02'''

Calor maximus erat die 31ma hora 4ta pomerid. nimirum 22°

Calor minimus erat die 22da hor. 6ta matut. nimir. 4, 8°

Calor medius per totum menſem erat 13, 923°

MENSE IUNIO.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
1	27''.	4,9'''	22, 1°	SW. WNW.
2	27	6,6	16, 9	NWN.
3	27	8,7	18, 5	NWN.
4	27	10,1	18, 9	NON.
5	27	10,2	21, 2	NON.
6	27	10,6	16, 3	NO.
7	27	10	23	OSO. O.
8	27	9,5	20, 5	N. NW.
9	27	8,8	20	NON.
10	27	9,3	17, 5	W.
11	27	9,8	16, 9	NWN. N.
12	27	9,2	18, 3	O. NNO.
13	27	8,6	19, 1	N. NW.
14	27	8,8	17, 3	NW. N.
15	27	7,1	19, 9	NO. SW.
16	27	6,6	16	SO.

MENSE IUNIO.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
17	27''.	5,8'''	20, 3°	SO.
18	27	5,8	15, 4	W. SSW.
19	27	5,6	18, 8	OOS. W.
20	27	4,7	14, 3	WSW.
21	27	5,1	16	SSW.
22	27	6,9	12, 1	W.
23	27	8,6	13, 2	SW.
24	27	8,9	13, 9	SW.
25	27	7,8	14, 4	NW.
26	27	7,3	14, 5	W.
27	27	6,7	16, 3	WNW. W.
28	27	7,1	17, 8	NON. W.
29	27	6,4	18, 1	S.
30	27	6,2	14, 7	W. SW.

Hoc menſe

maxima Mercurii in Barometro altitudo erat die 6ta hor. 9na veſpert. 27''. 10,6'''

minima altitudo erat die 20ma hor. 11ma mat. 27''. 4,5'''

Altitudo media per totum menſem erat 27''. 7,39'''

Calor maximus erat die 7ma hor. 3 1/2 pomerid. nimirum 23, 3°

Calor minimus erat die 11ma hor. 6ta matut. 8, 9°

Calor medius per totum menſem erat 17, 406°

MENSE IULIO.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
1	27''.	6,8'''	16, 6°	SW.
2	27	4,6	16, 2	V.veh.N.W.
3	27	6,2	16	WWN. veh.
4	27	6,6	15, 1	SW.
5	27	7	17, 6	WWS.
6	27	5,9	18, 6	SSW.
7	27	7	14, 5	SO.
8	27	5,5	19, 5	SW.
9	27	7,1	16, 4	NW.
10	27	8,7	18, 3	SSW.
11	27	5,5	21	SSW.
12.	27	5,6	14, 2	SSW.
13	27	6,5	14, 4	SSW.
14	27	5,4	17, 6	O. WWS.
15	27	5,4	14, 2	WS.
16	27	3,2	13, 2	NW. SW.
17	27	2,1	13	W. SW.
18	27	5,8	15, 2	WWS.
19	27	8,2	16	SW.
20	27	6,6	18, 5	WSW.
21	27	4,8	20	SW.
22	27	4,1	17, 6	W.
23	27	6,8	14	W.
24	27	6,3	14, 1	W. SW.
25	27	7,2	15, 4	W. SW.
26	27	8,1	13, 7	W.
27	27	8,9	12, 8	W.

MENSE JULIO.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
28	27''.	8,5'''	12, 8°	W.NW.
29	27	8,6	16, 8	N.
30	27	8,7	17, 8	NNW.
31	27	8,1	17, 1	SW.

Hoc menſe

maxima Mercurii in Barometro altitudo erat die 27ma hora 11ma veſpertina 27''. 9'''

minima altitudo erat die 17ma hor. 8 mat. 27''. 1,5'''

Altitudo media per totum menſem erat 27''. 6,445'''

Calor maximus erat die 21ma hor. 3tia nimirum 24°

Calor minimus erat die 17ma hor. 9na veſp. 10, 8°

Calor medius per totum menſem erat 16, 07°

MENSE AUGUSTO.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
1	27''.	7,8'''	20, 6°	OSO. SSW.
2	27	7,7	22	SSW.
3	27	8,5	20,5	NW.
4	27	6,9	22	NO. SW.
5	27	8,6	14, 2	—
6	27	9,3	16	W. SO.
7	27	9,1	15, 4	NWN.
8	27	6,3	16, 6	NO. O.
9	27	5,3	18	NNO.
10	27	6,8	17	WWS. W.
11	27	8,1	16, 7	WWS.

MENSE AUGUSTO.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
12	27''.	9,1'''	18°	SW.
13	27	7,7	19, 1	SWS.
14	27	5,5	21	SWS.
15	27	6,6	17, 8	—
16	27	7	18	S.
17	27	8,8	13, 6	N.
18	27	9	13, 6	NNO.
19	27	8,1	15, 1	NO.
20	27	8,8	17, 6	—
21	27	9,1	17, 6	NO. N.
22	27	8,5	17, 5	ONO.
23	27	6,7	18, 6	NO. SSW.
24	27	8,8	16, 8	SW.
25	27	7,7	12, 7	SW. vehem.
26	27	7,8	12, 7	—
27	27	9	11	NNW.
28	27	9,7	13, 8	N.
29	27	9,2	11, 5	N.
30	27	8,4	12, 3	NW.
31	27	9,2	12	W. NWN.

Hoc menſe

maxima Mercurii in Barometro altitudo erat die 28ma hor. 8 mat. 27''. 9,9'''

minima altitudo erat die 14ta hor. 3. 27''. 5,1'''

Altitudo media per totum menſem erat 27''. 8,03'''

Calor maximus erat die 4ta hor. 3 nimir. 24,8°

Calor minimus erat die 29ma hor. 10 noct. nimir. 8,8°

Calor medius per totum menſem erat 18,17°.

MENSE SEPTEMBRE.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
1	27''.	9,5'''	14, 3°	WWN.
2	27	8,6	15	O.
3	27	6,4	15	—
4	27	6,6	17	—
5	27	7,9	15, 7	SW.
6	27	6,4	16, 9	SSW.
7	27	4,5	18, 6	SW.
8	27	3,8	14, 8	SW.
9	27	6	15, 7	SW.
10	27	5,4	14, 8	S. SWS.
11	27	4,6	13, 8	S. SW.
12	27	3,3	13, 5	SW. W.
13	27	2,3	11, 6	SW.
14	27	4,2	11, 4	SW. W.
15	27	8	11, 3	NW.
16	27	8,6	11, 6	SW.
17	27	8,6	11, 8	SW.
18	27	9,6	11, 1	SW. W.
19	27	8,5	10, 6	W. SW.
20	27	7,2	11, 3	NWN. W.
21	27	5,8	11, 8	SW.
22	27	8,2	10, 2	SW. W.
23	27	9,6	9, 2	W.
24	27	8,6	10, 6	NO. SW.
25	27	6,5	13	SW.
26	27	6,3	10, 6	SW.
27	27	1,5	10, 5	SW.

MENSE SEPTEMBRE.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
28	26″.	10,8‴	10°	SW. W.
29	27	0,6	7, 9°	NW. SW.
30	27	6,7	8°	S.

Hoc menſe

maxima Mercurii in barometro altitudo erat die 23tia hor. 8va mat. 27″. 10‴

minima altitudo erat die 28va hora 8 mat. 26″. 10,3‴

Altitudo media per totum menſem erat 27″. 6,08‴

Calor maximus erat die 7ma hor. 2da nimirum 24°

Calor minimus erat die 30ma hor. 8va mat. 6°

Calor medius per totum menſem erat 12,58°

MENSE OCTOBRE.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
1	27″.	8,9‴	8, 1°	W.
2	27	7,2	8, 3	SWS. NW.
3	27	8,5	7, 6	NW. NO.
4	27	7,5	8, 6	N. NO.
5	27	6,1	10, 8	NO. O.
6	27	7,9	9,6	NO. SW.
7	27	8,8	9, 3	W.
8	27	9,6	9, 5	NNO. SWS.
9	27	9,3	8, 1	SOS. SWS.
10	27	8,1	8, 7	W. SW.
11	27	5,3	10, 8	SW.

MENSE OCTOBRE.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
12	27''.	7'''	6, 8°	W.NW.
13	27	11	4, 7	W.
14	27	9,7	4, 5	S.
15	27	8,5	6, 4	O.
16	27	6,8	8, 9	NO.
17	27	8,4	8, 5	W.N.
18	27	7,2	6, 7	N.SO.
19	27	6,8	8, 5	W.SW.
20	27	9,5	6, 7	SW.W.
21	27	10,4	5	SO.N.
22	27	9	5, 2	NO.
23	27	8,2	4	O.
24	27	6,9	4, 2	S.SWS.
25	27	7	5, 7	NNO.N.
26	27	7,2	5, 8	NO.
27	27	7	6	O.NO.
28	27	4,5	4, 9	NO.SO.
29	27	3,9	5, 5	NWN.W.
30	27	4,7	6, 2	O.SW.
31	27	7,1	7	N.SW.

Hoc menſe

maxima Mercurii in Barometro altitudo erat die 13tia hora 9 veſp. 27''. 11, 1'''

minima altitudo erat die 29na hor. 8 mat. 27''. 3,6'''

Altitudo media per totum menſem erat 27''. 7,677'''

Calor maximus erat die 5ta hora 2da nimir. 13,3°

Calor minimus erat die 14ta hor. 8va nimir. 2°

Calor medius per totum menſem erat 7, 116°

MENSE NOVEMBRE.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
1	27''.	7,5'''	4, 1°	W.
2	27	6,1	4, 8	NO. O.
3	27	6,9	5	O. SW.
4	27	7,5	6, 3	SW.
5	27	5,7	5, 5	SW. O.
6	27	2,5	7	W. SW.
7	26	10,8	6, 7	S.
8	26	9,8	9, 3	SW.
9	26	10,9	9	W.
10	27	4,7	6, 2	SW. W.
11	27	8	5, 7	W.
12	27	8,6	4, 6	W.
13	27	7,9	2, 7	W. NW.
14	27	6,5	3	SSW.
15	27	6,5	4, 5	W.
16	27	6,9	3, 2	W.
17	27	10,6	1, 2	SW.
18	27	9,5	0, 5	SW.
19	27	5,8	—0, 3	W. N.
20	27	3,3	0, 8	N.
21	27	6,9	0	N.
22	27	4,4	—0, 6	N.
23	27	0,1	—0, 6	N.
24	27	2,4	—1, 4	N. NW.
25	27	7,1	—3, 3	NW. W.
26	27	7,6	—0, 8	W. SW.
27	27	4,7	2, 7	S.

MENSE NOVEMBRE.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
28	27''.	4, 1'''	4, 7°	SW.
29	27	5,3	5, 7	SW.
30	27	4,8	6, 1	W. SW.

Hoc menſe

maxima Mercurii in Barometro altitudo erat die 17. hor. 2da 27''. 10, 7'''

minima altitudo erat die 8va hor. 9 veſp. 26''. 9'''

Altitudo media per totum menſem erat 27''. 5,25'''

Calor maximus erat die 8va hor. 9na veſp. nimir. 10°

Calor minimus erat die 25ta hor. 9na veſpert. —5°

Calor medius per totum menſem erat 3, 377°

MENSE DECEMBRE.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
1	27''.	5, 8'''	4, 4°	W.
2	27	2,5	7, 6	SW.
3	27	3,7	6, 2	W.
4	27	7,2	5, 2	W. NW.
5	27	6,5	2, 8	W. SW.
6	27	6,2	3, 8	SW. NO.
7	27	8,8	2, 2	N. O.
8	27	9,2	—0, 6	O.
9	27	10,3	—1	NW. O.
10	27	10,5	—1	O.
11	27	10,1	—3, 1	O.
12	27	7,1	—3	O. N.

MENSE DECEMBRE.

Dies.	Barometrum.		Thermometr.	Ventus.
13	27''.	5, 3''''	—3, 5°	O.N.
14	27	4,3	—0, 8	NO.N.
15	27	5,9	1, 9	SO. N.
16	27	4,6	5	SW.
17	27	2,5	4, 4	S.
18	27	1,8	4	S. W.
19	27	3,9	4, 8	SW.
20	27	9	—3	N.
21	28	1	—2, 5	NW.
22	27	10,2	—3, 6	N.
23	27	9,6	—4, 3	NNW.
24	28	0,4	—11, 2	N.O.
25	27	9,4	—13, 3	NO.
26	27	9,5	—16	NO.
27	27	6,5	—12, 2	OOS.
28	27	3,6	—3, 5	NO. NW.
29	27	11,3	—5, 6	NW.
30	28	1,6	—2, 9	NO.N.
31	28	0,3	—2, 1	N.

Hoc menſe

maxima Mercurii in Barometro altitudo erat die 30. hor. 2da 28''. 1, 5''''

minima altitudo erat die 18va hora 2da nimirum 27''. 1, 5''''

Altitudo media per totum menſem erat 27''. 7, 6''''

Calor maximus erat die 2da hor. 2da nimir. 8, 8°

Calor minimus erat die 26. hora 8va nimirum —20°

Calor medius per totum menſem erat —1, 32°

DESIGNATIO
AEGROTANTIUM OMNIUM,

qui a die 1ma Aprilis uſque ad 31mam Decembris 1798 in inſtituto clinico verſabantur.

DESIGNATIO

MENSE

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Marcus Reich	Marrbach	Miles	28
Michael Salzinger	Würzburg	Textor	67
Michael Steinigg	Würzburg	Sartor	60
Johannes Bloſs	Nürnberg	Sartor	19
Daniel Lindwurm	Würzburg	Scriniarius	25
Antonius Weigand	Guntersblumm	Vietor	19
Conradus Schaerf	Wolfsmünſter	Piſtor	20
Johannes Schreiber	Brend	Sartor	16
Johannes Mejer	Zeiſshauſsen	Textor	23
N. N.	N.	Aurifaber	40
Caſparus Neuberger	Uffenbach	Sartor	21
Bernard. Vierlinger	Schwaebiſch-Gemünden	Barbitonſor	26
Andreas Steuer	Berlingen	Vitriarius	26
Joſephus Weiner	Kiſſingen	Studioſus	19
Petrus Philippi	Fladungen	Studioſus	16
Mathias Scheilbach	Italia	Caminorum Purgator	18
Joſephus Faulſtich	Rottendorf	Famulus ruſticus	20

AEGROTORUM.

APRILI.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimissionis	Eventus curae
Paralyſis	27 Januarii		
Maraſmus	22Februar.	19 Aprilis	Sanatus
Debilitas univerſalis	9 Martii	16 Aprilis	Sanatus
Scabies	10 Martii	15 Aprilis	Sanatus
Scabies	21 Martii	15 Aprilis	Sanatus
Febris rheumatica	21 Martii	9 Aprilis	Sanatus
Ophthalmia	22 Martii	7 Aprilis	Sanatus
Scabies	22 Martii	15 Aprilis	Sanatus
Febris nervoſa	23 Martii	5 Aprilis	Sanatus
Tremor artuum	24 Martii		
Angina catarrhalis	25 Martii	9 Aprilis	Sanatus
Febris nervoſa	26 Martii	12 Aprilis	Sanatus
Ophthalmia	29 Martii	13 Aprilis	Palliative ſanatus
Haemoptyſis ſthenica	1 Aprilis	18 Aprilis	Sanatus
Peripneumonia	1 Aprilis	25 Aprilis	Sanatus
Rheumatiſmus	3 Aprilis	6 Aprilis	Sanatus
Peripneumonia	4 Aprilis	29 Aprilis	Sanatus

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Joseph. Armknecht	Gerlachshausen	Studiosus	18
Michael Pharo	Bamberg	Mercenarius	15
And. Baumgaertner	Würzburg	Mercenarius	44
Antonius Breunes	Schallbach	Scriniarius	21
Jos. Rosenhoefer	Sternberg	Figulus	18
Georgius Wiess	Stalldorf	Laminarius	18
Georgius Lederer	Würzburg	Scriniarius	14
Josephus Pfaff	Zell	Famulus rusticus	27
Petrus Hildebrand	Rottau	Pistor	19
Andreas Zipfel	Hesselbach	Cerevisiarius	28
Nicolaus Karl	Unterdürrbach	Scriniarius	29
Johannes Hornung	Drossenfort	Coriarius	20
Nicolaus Schmitt	Ottweiler	Sartor	44
Michael Arnold	Gamburg	Scriniarius	17
Johannes Bauer	Koenigsberg	Faber lignarius	36
Petrus Schulz	Würzburg	Mercenarius	58
Georgius Senger	Bergtheim	Sartor	19
Michael Pfeiffer	Veitshöchheim	Hortulanus	19

APRILI.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimisſionis	Eventus curae
Scrofulae	5 Aprilis		
Peripneumonia nervoſa	8 Aprilis	21 Aprilis	Sanatus
Catarrhus inflammator.	9 Aprilis	26 Aprilis	Sanatus
Rheumatiſmus	10 Aprilis	15 Aprilis	Sanatus
Peripneumonia nervoſa	10 Aprilis	20 Aprilis	Sanatus
Rheumatiſmus	12 Aprilis	17 Aprilis	Sanatus
Rheumatiſmus	12 Aprilis	21 Aprilis	Sanatus
Anaſarca cum Aſcite	12 Aprilis		
Scabies	12 Aprilis		
Febris tertian. duplicata	14 Aprilis		
Ophthalmia	14 Aprilis		
Scabies	15 Aprilis	30 Aprilis	Sanatus
Aſthma pituitoſum	15 Aprilis	30 Aprilis	Palliative ſanatus
Scabies	17 Aprilis		
Peripneumonia	19 Aprilis	28 Aprilis	Sanatus
Phthiſis pituitoſa	21 Aprilis		
Ophthalmia aſthenica	23 Aprilis		
Febris tertiana	23 Aprilis		

MENSE

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Balthafar Goes	Allersheim	Molitor	34
Johannes Krotfch	Oberfinn	Faber	15
Andreas Dreftell	Hainfeld	Faber	32
Georgius Mack	Orb	Faber	20
Georgius Schenk	Schwanfeld	Lanius	51
Nicolaus Ott	Baltersheim	Sellarius	13
Chriftophor. Brand	Waldeck	Crumenarius	20

MENSE

Marcus Reich	Marrbach	Miles	28
N. N.	N.	Aurifaber	40
Jofeph. Armknecht	Gerlachshaufsen	Studiofus	18
Jofephus Pfaff	Zell	Famulus rufticus	27
Petrus Hildebrand	Rottau	Piftor	19
Andreas Zipfel	Heffelbach	Cerevifiarius	28
Nicolaus Karl	Unterdürrbach	Scriniarius	29
Michael Arnold	Gamburg	Scriniarius	17
Petrus Schulz	Würzburg	Mercenarius	58
Georgius Senger	Bergtheim	Sartor	19

APRILI.

Morbus	Dies Recep-tionis	Dies Dimis-ſionis	Eventus curae
Haemoptyſis aſthenica	25 Aprilis		
Febris rheumatica	26 Aprilis		
Febris tertiana	27 Aprilis		
Febris tertiana	27 Aprilis		
Debilitas univerſ. cum obſtruct. viſcer. abdom.	28 Aprilis		
Scabies	28 Aprilis		
Pleuritis rheumatica	29 Aprilis		

MAIO.

Paralyſis	27 Januarii		
Tremor artuum	24 Martii	24 Maii	Sanatus
Scrofulae	5 Aprilis		
Anaſarca cum Aſcite	12 Aprilis	14 Maii	Mortuus
Scabies	12 Aprilis	5 Maii	Sanatus
Febris tertiana duplic.	14 Aprilis	14 Maii	Sanatus
Ophthalmia	14 Aprilis	4 Maii	Sanatus
Scabies	17 Aprilis	13 Maii	Sanatus
Phthiſis pituitoſa	21 Aprilis	20 Maii	Palliative Sanatus
Ophthalmia aſthenica	23 Aprilis		

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Balthafar Goes	Allersheim	Molitor	34
Michael Pfeiffer	Veitshoechheim	Hortulanus	19
Johannes Krotfch	Oberfinn	Faber	15
Andreas Dreftell	Hainfeld	Faber	32
Georgius Mack	Orb	Faber	20
Georgius Schenk	Schwanfeld	Lanius	51
Nicolaus Ott	Baltersheim	Sellarius	13
Chriftophor. Brand	Waldeck	Crumenarius	20
Philippus Schneider	Worms	Sartor	20
Nicolaus Lengert	Stollhofen	Vitriarius	19
Wilhelmus Ries	Niederharting	Scriniarius	24
Bruno Schwarz	Trier	Scriniarius	20
Paulus Korhammer	Regensburg	Sartor	33
Jofephus Rottmann	Dettelbach	Famulus rufticus	48
Jofephus Seuffert	Margelshaufsen	Theologus	22
Michael Neidinger	Eifingen	Rufticus	38
Johannes Hoeffer	Falkenau	Faber lignarius	64
Jacobus Schell	Eierfeld	Mercenarius	54

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimissionis	Eventus curae
Haemoptyſis aſthenica	25 Aprilis	10 Maii	Sanatus
Febris tertiana	23 Aprilis		
Febris rheumatica	26 Aprilis	3 Maii	Sanatus
Febris tertiana	27 Aprilis	3 Maii	Sanatus
Febris tertiana	27 Aprilis	15 Maii	Sanatus
Debilitas univerſ. cum obſtruct. viſcer. abdom.	28 Aprilis	11 Maii	Curam non exſpectavit
Scabies	28 Aprilis		
Pleuritis rheumatica	29 Aprilis	14 Maii	Sanatus
Scabies	1 Maii		
Scabies	1 Maii		
Febris rheumatica	3 Maii	9 Maii	Sanatus
Febris tertiana	3 Maii	22 Maii	Sanatus
Ophthalmia	5 Maii	20 Maii	Sanatus
Febris hectica	8 Maii		
Febris tertiana	8 Maii	15 Maii	Sanatus
Paralyſis cum Amauroſi	8 Maii		
Febris tertiana	10 Maii	18 Maii	Sanatus
Iſchias nervoſa	15 M.ii		

MENSE

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Pancratius Friedel	Bamberg	Textor	24
Nicolaus Boor	Salzburg	Faber	22
Simon Staudigel	Fuchsftadt	Vietor	46
Nicolaus Schmitz	Alfatia	Presbyter	40
Bernard. Dellinger	Nürnberg	Famulus cellarius	32
N. N.	N.	Typographus	28
Antonius Santer	Tieffenbach	Sartor	18

MENSE

Marcus Reich	Marrbach	Miles	28
Jofeph. Armknecht	Gerlachshaufsen	Studiofus	18
Georgius Senger	Bergtheim	Sartor	19
Jofephus Pfeiffer	Veitshöchheim	Hortulanus	19
Nicolaus Ott	Baltersheim	Strator	13
Philippus Schneider	Worms	Sartor	20
Nicolaus Lengert	Stollhofen	Vitriarius	19
Jofephus Rottmann	Dettelbach	Famulus rufticus	48
Michael Neidinger	Eifingen	Rufticus	38
Jacobus Schell	Eierfeld	Mercenarius	54
Pancratius Friedel	Bamberg	Textor	24

MAIO.

Morbus	Dies Recep-tionis	Dies Dimis-fionis	Eventus curae
Catarrhus	16 Maii		
Febris rheumatica	17 Maii	23 Maii	Sanatus
Rheumatifmus	17 Maii	30 Maii	Sanatus
Diabetes	20 Maii		
Febris tertiana	21 Maii		
Febris quotidiana	31 Maii		
Febris tertiana	30 Maii		

IUNIO.

Paralyfis	27 Januarii		
Scrofulae	5 Aprilis		
Ophthalmia afthenica	23 Aprilis	6 Iunii	Sanatus
Febris tertiana	23 Aprilis	30 Iunii	Sanatus
Scabies	28 Aprilis	12 Iunii	Sanatus
Scabies	1 Maii	12 Iunii	Sanatus
Scabies	1 Maii	10 Iunii	Sanatus
Febris hectica	8 Maii	8 Iunii	Palliative fanatus
Paralyfis cum Amaurofi	8 Maii		
Ifchias nervofa	15 Maii	30 Iunii	Sanatus
Catarrhus	16 Maii	4 Iunii	Sanatus

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Nicolaus Schmitz	Alſatia	Presbyter	40
Bernard. Dellinger	Nürnberg	Famulus cellarius	32
N. N.	N.	Typographus	28
Antonius Santer	Tieffenbach	Sartor	18
Caſparus Gerſchütz	Dürrbach	Politor	17
Andreas Majerle	Mohnheim	Faber	20
Franciſcus Stalf	Buchheim	Coriarius	25
Michael Siebert	Lauda	Sartor	16
Daniel Müller	Koeln	Faber	23
Nicolaus Nix	Trier	Faber	22
Adamus Hirſch	Coblenz	Faber	21
Antonius Schreck	Hartheim	Molitor	20
Reingeard	Gallia	Presbyter	64
Georgius Bendel	Haſsfurt	Coriarius	18
Joſephus Lauter	Trier	Navigator	24
Martinus Erhard	Oberlauda	Murarius	33
Nicolaus Hepp	Gerolshauſsen	Coriarius	18
Joſephus Strein	Mildenburg	Sutor	23
Joſephus Goepferg	Bauerbach	Scriniarius	19

IUNIO.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimissionis	Eventus curae
Diabetes	20 Maii	6 Iunii	Sanatus
Febris tertiana	21 Maii	29 Iunii	Sanatus
Febris quotidiana	30 Maii		
Febris tertiana	30 Maii		
Febris rheumatica	2 Iunii	4 Iunii	Sanatus
Tumor pedis oedematosus	5 Iunii		
Peripneumonia nervosa	6 Iunii	14 Iunii	Sanatus
Febris nervosa	6 Iunii	13 Iunii	Sanatus
Febris tertiana	8 Iunii		
Febris tertiana	8 Iunii		
Febris tertiana	9 Iunii		
Febris nervosa	12 Iunii	17 Iunii	Sanatus
Incontinentia urinae	12 Iunii		
Febris nervosa	19 Iunii	22 Iunii	Sanatus
Febris tertiana	20 Iunii		
Phthisis	27 Iunii		
Sordes prim. viarum ab indigestione	19 Iunii	22 Iunii	Sanatus
Peripneumonia rheumatica	28 Iunii		
Febris tertiana	29 Iunii		

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A.aetat.
Marcus Reich	Marrbach	Miles	28
Joſeph. Armknecht	Gerlachshauſsen	Studioſus	18
Michael Neidinger	Eiſingen	Ruſticus	38
N. N.	N.	Typographus	28
Andreas Majerle	Mohnheim	Faber	20
Daniel Müller	Koeln	Faber	23
Nicolaus Nix	Trier	Faber	22
Adamus Hirſch	Coblenz	Faber	21
Reingeard	Gallia	Presbyter	64
Joſephus Lauter	Trier	Navigator	24
Martinus Erhardt	Oberlauda	Murarius	33
Joſephus Strein	Mildenburg	Sutor	23
Joſephus Goepferig	Bauerbach	Scriniarius	19
Leonardus Beckert	Metz	Scriniarius	20
Michael Stupani	Italus	Mercator	24
Chriſtoph.Heilmann	Volkach	Studioſus	15
Antonius Liebich	Würzburg	Scriniarius	20
Johannes Metz	Carlſtadt	Pileorum artifex	18

IULIO.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimissionis	Eventus curae
Paralyſis	27 Januarii	9 Iulii	Palliative ſanatus
Scrofulae	5 Aprilis		
Paralyſis cum Amauroſi	8 Maii		
Febris quotidiana	30 Maii	11 Iulii	Sanatus
Tumor pedis oedematoſus	5 Iunii	24 Iulii	Sanatus
Febris tertiana	8 Iunii	7 Iulii	Sanatus
Febris tertiana	8 Iunii	22 Iulii	Sanatus
Febris tertiana	9 Iunii	7 Iulii	Sanatus
Incontinentia urinae	12 Iunii	15 Iulii	Sanatus
Febris tertiana	20 Iunii	29 Iulii	Sanatus
Phthiſis	27 Iunii		
Peripneumonia rheumatica	28 Iunii	6 Iulii	Sanatus
Febris tertiana	29 Iunii	31 Iulii	Sanatus
Peripneumonia rheumatica	1 Iulii	6 Iulii	Sanatus
Phthiſis trachealis	3 Iulii		
Scabies	2 Iulii	30 Iulii	Sanatus
Phthiſis pulmonalis	4 Iulii		
Febris	7 Iulii	9 Iulii	Sanatus

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Petrus Vierheilig	Euerdorf	Molitor	19
Jacob. Götzelmann	Kift	Famulus ruſticus	28
Jacobus Scharf	Aſchaffenburg	Sartor	17
Johannes Gerhardt	Carlburg	Scriniarius	17
Joſephus Gerich	Würzburg	Sutor	17
Andreas Klaus	Würzburg	Faber lignarius	18
Johannes Hartung	Salzburg	Lapicida	20
Antonius Hornung	Koenigshofen	Faber	16
Chriſtianus Majer	Zeiners	Piſtor	19
Sebaſtian. Koerber	Heidingsfeld	Textor	17
Johannes Geiſsler	Groſsoſtheim	Coriarius	24
Joſephus Eichold	Dresden	Capillator	36
Caſparus Regele	Zürich	Vitriarius	19
Georgius Lauer	Euſsenheim	Piſtor	19

MENSE

Joſeph. Armknecht	Gerlachshauſsen	Srudioſus	18
Michael Neidinger	Eiſingen	Ruſticus	38
Martinus Erhardt	Oberlauda	Murarius	33
Michael Stupani	Mailand	Mercator	24

IULIO.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimisſionis	Eventus curae
Febris nervoſa	8 Iulii	20 Iulii	Sanatus
Leucophlegmatia totius corporis	10 Iulii	24 Iulii	Noſocomio exiit
Scabies	10 Iulii	31 Iulii	Sanatus
Scabies	10 Iulii	31 Iulii	Sanatus
Obſtruct. glandular. meſeraicar.	12 Iulii	31 Iulii	Palliative Sanatus
Febris	12 Iulii	15 Iulii	Sanatus
Febris rheumatica	15 Iulii	22 Iulii	Sanatus
Diarrhoea	16 Iulii	29 Iulii	Sanatus
Rheumatiſmus	18 Iulii	31 Iulii	Sanatus
Febris rheumatica	20 Iulii	28 Iulii	Sanatus
Febris nervoſa	28 Iulii		
Scabies	31 Iulii		
Scabies	31 Iulii		
Rheumatiſmus	31 Iulii		

AUGUSTO.

Scrofulae	5 Aprilis		
Paralyſis cum Amauroſi	8 Maii	30 Auguſti	Inſanabilis dimiſſ.
Phthiſis	27 Iunii		
Phthiſis trachealis	3 Iulii		

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Antonius Liebich	Würzburg	Scriniarius	20
Johannes Geiſsler	Groſsoſtheim	Coriarius	24
Joſephus Eichold	Dresden	Capillator	35
Caſparus Regele	Zürich	Vitriarius	19
Georgius Lauer	Euſsenheim	Piſtor	19
Caſparus Karl	Würzburg	Capillator	18
Antonius Kirchner	Waldaſchach	Barbitonſor	23
Andreas Kern	Würzburg	Famulus	25
Johannes Baumann	Würzburg	Faber	17
Martinus Lorenz	Ikelsheim	Theologus	20
Joſeph. Camandel	Stadtgeis	Coriarius	19
Andreas Geiger	Elfershauſsen	Textor	31
Johannes Belt	Groſsenlangheim	Famulus ruſticus	25
Petrus Schulz	Würzburg	Mercenarius	58
Francif. Leimbach	Giſſigheim	Vietor	29
Francif. Obernütz	Amorbach	Sartor	18
Caſparus Bajer	Würzburg	Figulus	26
Bernard. Ehrenburg	Wernfeld	Reſtiarius	17

AUGUSTO.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimiſſionis	Eventus curae
Phthiſis	4 Iulii	11 Auguſti	Palliative ſanatus
Febris nervoſa	28 Iulii	30 Auguſti	Sanatus
Scabies	31 Iulii	20 Auguſti	Sanatus
Scabies	31 Iulii	6 Auguſti	Sanatus
Rheumatiſmus	31 Iulii	8 Auguſti	Sanatus
Haemoptyſis	3 Auguſti	12 Auguſti	Sanatus
Epilepſia	3 Auguſti	16 Auguſti	Noſocomium dereliquit
Rheumatiſmus	3 Auguſti		
Febris nervoſa	5 Auguſti	12 Auguſti	Sanatus
Febris nervoſa	7 Auguſti	28 Auguſti	Sanatus
Febris	7 Auguſti	11 Auguſti	Sanatus
Diarrhoea	23 Auguſti		
Febris tertiana	26 Auguſti		
Hydrothorax	27 Auguſti		
Diarrhoea	22 Auguſti	27 Auguſti	Sanatus
Arthritis	23 Auguſti		
Rheumatiſmus	29 Auguſti		
Febris nervoſa	30 Auguſti		

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Joseph. Armknecht	Gerlachshausen	Studiosus	18
Martinus Erhardt	Oberlauda	Murarius	33
Michael Stupani	Italus	Meroator	24
Andreas Kern	Würzburg	Famulus	25
Andreas Geiger	Elfershausen	Textor	31
Francis. Obernütz	Amorbach	Sartor	18
Johannes Belt	Grossenlangheim	Famulus rusticus	25
Petrûs Schulz	Wûrzburg	Mercenarius	58
Casparus Bajer	Würzburg	Figulus	26
Bernard. Ehrenburg	Wernfeld	Restiarius	17
Michael Reich	Gemünden	Coriarius	18
Balthasar Wendel	Zimmern	Famulus domesticus	25
Mich. Kriegsmann	Bern	Faber	24
Petrus Herold	Günzburg	Pistor	24
Antonius Zipf	Eichenbühl	Molitor	33
Michael Vollmuth	Würzburg	Sutor	24
Carolus Lampe	Gossmannsdorf	Fabri lignarii filius	6
Georgius Rath	Moguntia	Capillator	39

SEPTEMBRE.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimissionis	Eventus curae
Scrofulae	5 Aprilis	24 Septem	Sanatus
Phthisis	27 Iunii	14 Septem	Palliative sanatus
Phthisis trachealis	3 Iulii	21 Septem	Mortuus
Rheumatismus	3 Augusti	14 Septem	Sanatus
Diarrhoea	23 Augusti	14 Septem	Sanatus
Arthritis	23 Augusti	25 Septem	Sanatus
Febris tertiana	26 Augusti	14 Septem	Sanatus
Hydrothorax	27 Augusti		
Rheumatismus	29 Augusti	7 Septem	Sanatus
Febris nervosa	30 Augusti	23 Septem	Sanatus
Cephalalgia periodica	3 Septem	16 Septem	Sanatus
Peripneumonia asthenica	7 Septem	30 Septem	Sanatus
Scabies	7 Septem	24 Septem	Sanatus
Febris rheumatica	14 Septem	19 Septem	Sanatus
Phthisis trachealis	15 Septem		
Phthisis pulmonalis	19 Septem		
Hemiplechia	19 Septem		
Fluxus hepaticus	21 Septem		

MENSE

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Ignatius Manchel	Würzburg	Sartor	14
Ludov. Kunzmann	Grofsenlangheim	Textor	57
Johannes Wahl	Bamberg	Famulus	23
Adamus Leifer	Mergentheim	Piftor	20
Johannes Baumann	Düffeldorf	Molitor	24

MENSE

Petrus Schulz	Würzburg	Mercenarius	58
Antonius Zipf	Eichenbühl	Molitor	33
Michael Vollmuth	Würzburg	Sutor	24
Carolus Lampe	Gofsmannsdorf	Fabri lignarii filius	6
Georgius Rath	Mainz	Capillorum concinnator	39
Ignatius Manchel	Würzburg	Sartor	14
Ludov. Kunzmann	Grofsenlangheim	Textor	57
Johannes Wahl	Bamberg	Famulus	23
Adamus Leifer	Mergentheim	Piftor	20
Johannes Baumann	Düffeldorf	Molitor	24
Jofephus Refsmann	Oberkrain	Coriarius	23
Thomas Rund	Amberg	Pectinarius	24

SEPTEMBRE.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimissionis	Eventus curae
Scabies	25 Septem		
Rheumatiſmus chronicus	25 Septem		
Peripneumonia aſthenica	27 Septem		
Febris nervoſa	30 Septem		
Febris nervoſa	30 Septem		

OCTOBRE.

Hydrothorax	27 Auguſti	19 Octob.	Mortuus
Phthiſis trachealis	15 Septem	22 Octob.	Palliative ſanatus
Phthiſis pulmonalis	19 Septem	9 Octob.	Palliative ſanatus
Hemiplegia	19 Septem		
Fluxus hepaticus	21 Septem		
Scabies	25 Septem		
Rheumatiſmus chronicus	25 Septem	23 Octob.	Sanatus
Peripneumonia	27 Septem	20 Octob.	Sanatus
Febris nervoſa	30 Septem	5 Octob.	Sanatus
Febris nervoſa	30 Septem	5 Octob.	Sanatus
Vomicae pulmonum	1 Octob.		
Febris nervoſa	6 Octob.	10 Octob.	Sanatus

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A.aetat.
Johannes Meiſsner	Ebenhauſsen	Piſtor	48
And. Laudenbach	Siegendorf	Famulus ruſticus	24
Auguſtin. Gabriel	Münſterberg	Sellarius	22
Sebaſtian Roeder	Hilders	Inſtructor	66

MENSE

Carolus Lampe	Goſsmannsdorf	Fabri lignarii filius	6
Georgius Rath	Mainz	Capillorum concinnator	39
Ignatius Manchel	Würzburg	Sartor	14
Joſephus Reſsmann	Oberkrain	Coriarius	23
Johannes Meiſsner	Ebenhauſsen	Piſtor	48
And. Laudenbach	Siegendorf	Famulus ruſticus	24
Auguſtin. Gabriel	Münſterberg	Sellarius	22
Sebaſtian Roeder	Hilders	Inſtructor	66
Michael Stuhl	Würzburg	Sartor	16
Leonard Jäger	Bergtheim	Sartor	25
Virus Zirk	Neuſtadt ad Saalam	Magiſter Scholae	38
Johannes Kiefer	Gernsbach	Vietor	19
Anton Boetger	Sachsen	Famulus cellarius	48

OCTOBRE.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimisſionis	Eventus curae
Eryſipelas cum emphyſemate	6 Octob.		
Febris hectica	10 Octob.		
Scabies	11 Octob.		
Obſtructiones viſcer. abdominalium	20 Octob.		

NOVEMBRE.

Hemiplegia	19 Septem		
Fluxus hepaticus	21 Septem		
Scabies	25 Septem	17 Nov.	Sanatus
Vomicae pulmonum	1 Octob.		
Eryſipelas cum emphyſemate	6 Octob.	24 Nov.	Sanatus
Febris hectica	10 Octob.		
Scabies	11 Octob.	17 Nov.	Sanatus.
Obſtructiones viſcer. abdominalium	20 Octob.	28 Nov.	Sanatus
Febris	5 Novemb	11 Nov.	Sanatus
Febris nervoſa	9 Novemb.	16 Nov.	Sanatus
Ophthalmia ex arthrit. cum deſtruct. oculor.	15 Nov.		
Scabies	17 Nov.		
Haemorrhoides	21 Nov.		

MENSE

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Georg. Kleinhanns	Frankenwinheim	Famulus rusticus	24
Sebastianus Bergold	Bieberehren	Famulus rusticus	43
Adamus Bauer	Kronach	Navigator	30

MENSE

Carolus Lampe	Gossmannsdorf	Fabri lignarii filius	6
Georgius Rath	Mainz	Capillorum concinnator	39
Josephus Ressmann	Oberkrain	Coriarius	23
And. Laudenbach	Siegendorf	Famulus rusticus	24
Vitus Zirk	Neustadt ad Saalam	Magister Scholae	38
Johannes Kiefer	Gernsbach	Vietor	19
Anton Boetger	Sachsen	Famulus cellarius	48
Georg. Kleinhanns	Frankenwinheim	Famulus rusticus	24
Sebastianus Bergold	Biberehren	Famulus rusticus	43
Adamus Bauer	Kronach	Navigator	30
Georg. Vornberger	Veitshöchheim	Mercenarius	60
Georgius Englert	Wisentheid	Sartor	18
Georgius Boegner	Würzburg	Molitor	24
Nicolaus Beck	Zell	Bibliopegus	16
Michael Kries	Lengfurt	Coriarius	19

NOVEMBRE.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimisſionis	Eventus curae
Peripneumonia	22 Nov.		
Arthritis	25 Nov.		
Haemorrhoides	28 Nov.		

DECEMBRE.

Hemiplegia	19 Septem		
Fluxus hepaticus	21 Septem	,0 Dec.	Mortuus
Vomica pulmonum	1 Octob.	30 Dec.	Sanatus
Febris hectica	10 Octob.		
Ophthalmia ex arthrit. cum deſtruct. oculor.	14 Nov.		
Scabies	17 Nov.		
Haemorrhoides	21 Nov.		
Peripneumonia	22 Nov.	19 Dec.	Sanatus
Arthritis	25 Nov.		
Haemorrhoides	28 Nov.	14 Dec.	Sanatus
Debilitas univerſalis cum febre lenta	2 Decemb.	30 Dec.	Mortuus
Scabies	3 Decemb.	23 Dec.	Sanatus
Rheumatiſmus	9 Decemb.	17 Dec.	Sanatus
Debilitas	11 Dec.	28 Dec.	Sanatus
Rheumatiſmus	12 Dec.	28 Dec.	Sanatus

MENSE

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Stephan. Grünewald	Grünsfeld - Zimmern	Ludimagifter	19
Petrus Dietz	Krautheim	Faber	26
Iofeph. Nürnberger	Würzburg	Mercator	16
Michael Jona	Schletknitz	Hortulanus	20
Iacobus Adamo	Johannesberg	Piftor	23
Carolus Seitz	Jagftberg	Sartor	18
Ioannes Reichert	Mainz	Faber	23
Georgius Werner	Würzburg	Civis	66
Georgius Achtmann	Dippach	Famulus	33

DESIGNATIO

MENSE

Iuftina Glock	Ochfenfurth	ancilla	27
N. N.	N.	ancilla	22
Eva Grumbach	Zeubelried	ancilla	40
Apollonia Röder	Burgpreppach	ancilla	18
Margar. Flieghaus	Hergsheim	ancilla	44
Catharina Lehritter	Dückelhaufen	ancilla	29
Catharina Forft	Würrfeld	ancilla	27
Anna Hofmann	Ochfenfurth	ancilla	27

DECEMBRE.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimissionis	Eventus curae
Scabies	12 Dec.		
Diarrhoea	14 Dec.	26 Dec.	Sanatus
Febris rheumatica	17 Dec.	20 Dec.	Sanatus
Rheumatismus	17 Dec.		
Diarrhoea	20 Dec.		
Scabies	28 Dec.		
Rheumatismus	29 Dec.		
Scabies	30 Dec.		
Arthritis	31 Dec.		

AEGROTARUM.

APRILI.

Febris hectica	5 Octob. a. 1797.		
Amentia	1 Decemb. a. 1797.		
Febris lenta cum adfectione hepatis	19 Ianuarii		
Phthisis pulmonalis	15 Februar	24 Aprilis	Mortua
Colica hysterica	17 Februar	14 Aprilis	Sanata
Vomitus chronicus	22 Februar		
Febris nervosa	5 Martii	14 Aprilis	Sanata
Scabies	26 Martii	25 Aprilis	Sanata

MENSE

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Margaretha Fiſcher	Karlſtadt	vidua	48
Anna Vaſſel	Rottendorf	ancilla	62
Philippina Potſchky	Veitshöchheim	ancilla	20
Barbara Zöger	Würzburg	ancilla	52
Anna Neubert	Kiſt	ancilla	44
Barbara Neumeiſter	Oberndorf	vidua	40
Margar. Höhnlein	Rottenfels	ancilla	26
Margaretha Gering	Sulzfeld	ancilla	59
Amalia Reninger	Arnſtein	ancilla	29
Margaretha Bach	Würzburg	Fabri lignarii uxor	60
Maria Anna Hypler	Würzburg	ancilla	30
Regina Reichert	Würzburg	ancilla	42
N. N.	N.	ancilla	25
Margaretha Fries	Würzburg	Civis filia	25
Catharina Müller	Rottenfels	ancilla	36

MENSE

Iuſtina Glock	Ochſenfurth	ancilla	27
N. N.	N.	ancilla	22
Eva Grumbach	Zeubelried	ancilla	40

APRILI.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimisſionis	Eventus curae
Arthritis	21 Martii	14 Aprilis	Sanata
Febris lenta cum adfectione hepatis	17 Martii	14 Aprilis	Mortua
Haemorrhagia uteri	1 Aprilis	11 Aprilis	Sanata
Paralyſis ex apoplexia	1 Aprilis		
Phthiſis	3 Aprilis	24 Aprilis	Palliative ſanata
Arthritis	11 Aprilis	13 Aprilis	Noſocom. exceſſit
Scabies	12 Aprilis		
Peripneumonia nervoſa	15 Aprilis		
Febris rheumatica	17 Aprilis	23 Aprilis	Sanata
Febris hectica	18 Aprilis		
Amauroſis incipiens	18 Aprilis		
Concrementa ſabuloſa renum	25 Aprilis		
Dolores oſteocopi Syphilidis ſequelae	28 Aprilis		
Hyſteria	29 Aprilis		
Febris rheumatica cum Hyſteria	29 Aprilis		

MAIO.

Febris hectica	5 Octob. 1797.		
Amentia	1 Decemb. 1797.	12 Maii	Palliative ſanata
Febris lenta cum adfectione hepatis	19 Ianuar.		

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Catharina Lehritter	Dückelhausen	ancilla	29
Barbara Zöger	Würzburg	ancilla	52
Margar. Höhnlein	Rottenfels	ancilla	26
Margaretha Gering	Sulzfeld	ancilla	59
Margaretha Bach	Würzburg	Fabri lignarii uxor	60
Anna Hypler	Würzburg	ancilla	30
Regina Reichert	Würzburg	ancilla	42
N. N.	N.	ancilla	25
Margaretha Fries	Würzburg	Civis filia	25
Catharina Müller	Rottenfels	ancilla	36
Magdal. Weiniger	Freisingen	Comoeda actrix	32
N. N.	N.	ancilla	33
Barbara Scharf	Würzburg	ancilla	31
Elisabetha Meister	Neustadt	ancilla	30
Doroth. Kaltwasser	Hallsheim	ancilla	32
Catharina Frey	Weier	ancilla	26
N. N.	N.	ancilla	23
Barbara Riedl	Sulzfeld	ancilla	18

MAIO.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimissionis	Eventus curae
Vomitus chronicus	22 Februar	11 Maii	Sanata
Paralyſis ex apoplexia	1 Aprilis		
Scabies	12 Aprilis		
Peripneumonia nervoſa	15 Aprilis	5 Maii	Sanata
Febris hectica	18 Aprilis	8 Maii	Palliative ſanata
Amauroſis incipiens	18 Aprilis		
Concrementa ſabuloſa renum	25 Aprilis		
Dolores oſteocopi Syphilidis ſequelae	28 Aprilis		
Hyſteria	29 Aprilis	18 Maii	Sanata
Febris rheumatica cum Hyſteria	29 Aprilis	21 Maii	Sanata
Arthritis	8 Maii		
Sequelae ex abuſu mercurii	8 Maii	28 Maii	Sanata
Herpes	12 Maii	28 Maii	Palliative ſanata
Debilitas univerſ. poſt feb.nerv. male curatam	16 Maii		
Aſcites	19 Maii		
Febris rheumatica	20 Maii	29 Maii	Sanata
Diarrhoea chronica	24 Maii		
Febris rheumatica	20 Maii	26 Maii	Sanata

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Iuſtina Glock	Ochſenfurth	ancilla	27
Eva Grumbach	Zeubelried	ancilla	40
Barbara Zöger	Würzburg	ancilla	52
Margar. Höhnlein	Rottenfels	ancilla	26
Anna Hypler	Würzburg	ancilla	30
Regina Reichert	Würzburg	ancilla	42
N. N.	N.	ancilla	25
Magdal. Weiniger	Freiſingen	Comoeda actrix	32
Eliſabetha Meiſter	Neuſtadt	ancilla	30
Doroth. Kaltwaſſer	Hallsheim	ancilla	32
N. N.	N.	ancilla	23
Thereſia Dümer	Würzburg	ancilla	23
Ioſepha König	Biſchofsheim	ancilla	16
Magalena Berg	Würzburg	ancilla	23
Margaretha Cadani	Aub	ancilla	33
N. N.	N.	ancilla	28

IUNIO.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimissionis	Eventus curae
Febris hectica	5 Octob. a. 1797.		
Febris lenta cum adfectione hepatis	19 Ianuar.		
Paralyſis ex apoplexia	1 Aprilis	24 Iunii	Palliative ſanata
Scabies	12 Aprilis	20 Iunii	Sanata
Amauroſis incipiens	18 Aprilis		
Concrementa ſabuloſa renum	25 Aprilis	21 Iunii	Sanata
Dolores oſteocopi Syphilidis ſequelae	28 Aprilis	26 Iunii	Sanata
Arthritis	8 Maii	10 Iunii	Sanata
Debilitas univerſ. poſt feb.nerv. male curatam	16 Maii	16 Iunii	Sanata
Aſcites	19 Maii		
Diarrhoea chronica	24 Maii	24 Iunii	Sanata
Febris rheumatica	3 Iunii	12 Iunii	Sanata
Scabies	4 Iunii		
Febris rheumatica	3 Iunii	8 Iunii	Sanata
Febris hectica	19 Iunii		
Retentio urinae	20 Iunii	30 Iunii	Sanata

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Iuſtina Glock	Ochſenfurth	ancilla	27
Eva Grumbach	Zeubelrieth	ancilla	40
Anna Hypler	Würzburg	ancilla	30
Doroth. Kaltwaſſer	Hallsheim	ancilla	32
Ioſepha König	Biſchofsheim	ancilla	16
Margaretha Cadani	Aub	ancilla	33
Apollonia Schmitt	Würzburg	Militis uxor	48
Cunigunda Brand	Schwebheim	ancilla	48
Anna Weber	Würzburg	ancilla	27
Barbara Regel	Sulzfeld	ancilla	20
Magdal. Neundörfer	Würzburg	Civis filia	20
Chriſtina Söder	Neudorf	ancilla	38
Margar. Schneider	Würzburg	ancilla	52
Urſula Stark	Bütthardt	ancilla	24
Catharina Steblein	Oberſchwarzach	ancilla	24
N. N.	N.	ancilla	25
Catharina Keller	Kitzingen	ancilla	40
Catharina Warmuth	Ebenhauſen	ancilla	30

IULIO.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimisſionis	Eventus curae
Febris hectica	5 Octob. 1797.	10 Iulii	Inſanabilis dimiſſa
Febris lenta cum adfectione hepatis	19 Ianuarii		
Amauroſis incipiens	18 Aprilis	31 Iulii	Palliative ſanata
Aſcites	19 Maii	30 Iulii	Sanata
Scabies	4 Iunii	20 Iulii	Sanata
Febris hectica	19 Iunii		
Arthritis cum feb. lenta	2 Iulii		
Rheumatiſmus	2 Iulii	16 Iulii	Sanata
Vomitus chronic. cum febre lenta	3 Iulii		
Febris tertiana	4 Iulii	30 Iulii	Sanata
Chloroſis cum vitio topico in pectore	7 Iulii	10 Iulii	Mortua
Rheumatiſmus	9 Iulii		
Diarrhoea chronica	10 Iulii	30 Iulii	Sanata
Paralyſis brachii dextri a rheumate	13 Iulii	31 Iulii	Sanata
Febris nervoſa	14 Iulii	31 Iulii	Sanata
Febris quotidiana	16 Iulii		
Rheumatiſmus	22 Iulii	28 Iulii	Sanata
Febris nervoſa	23 Iulii		

MENSE

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Anna Feld	Grumbach	ancilla	21
Margaretha Fenn	Sachſenheim	ruſtici uxor	55
Barbara Reuſs	Retzbach	ancilla	25
Barbara Gerſchütz	Himmelſtatt	ruſtica	48

MENSE

Eva Grumbach	Zeubelried	ancilla	40
Margaretha Cadani	Aub	ancilla	33
Apollonia Schmitt	Würzburg	militis uxor	48
Anna Weber	Würzburg	ancilla	27
Chriſtina Söder	Neudorf	ancilla	38
N. N.	N.	ancilla	25
Catharina Warmuth	Ebenhauſen	ancilla	30
Anna Feld	Grumbach	ancilla	21
Margaretha Fenn	Sachſenheim	ruſtici uxor	55
Barbara Reuſs	Retzbach	ancilla	25
Barbara Gerſchütz	Himmelſtatt	ruſtica	48
Margar. Heſſenauer	Arnſtein	ancilla	28
Apoll. Gunkelmann	Würzburg	ancilla	24

IULIO.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimissionis	Eventus curae
Scabies	25 Iulii		
Dolor faciei	29 Iulii		
Metrittis	29 Iulii		
Hydrops ovarii	30 Iulii		

AUGUSTO.

Febris lenta cum adfectione hepatis	19 Ianuarii	8 Augusti	Palliative sanata
Febris hectica	19 Iunii	25 Augusti	Mortua
Arthritis cum feb. lenta	2 Iulii		
Vomitus chronicus cum febre lenta	3 Iulii		
Rheumatismus	9 Iulii	27 Augusti	Sanata
Febris tertiana	16 Iulii	16 Augusti	Sanata
Febris nervosa	23 Iulii	11 Augusti	Sanata
Scabies	25 Iulii	27 Augusti	Sanata
Dolor faciei	29 Iulii	9 Augusti	Palliative sanata
Metritis	29 Iulii	13 Augusti	Sanata
Hydrops ovarii	30 Iulii	16 Augusti	Mortua
Indurationes glandulae thyreoideae	7 Augusti		
Febris nervosa	8 Augusti	27 Augusti	Sanata

MENSE

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Barbara Lehmann	Mergentheim	ancilla	28
Margaretha Maier	Gerolzhofen	ancilla	18
Regina Schäfer	Würzburg	ancilla	38
Margar. Lehritter	Dückelhaufen	ancilla	29
Margaretha Kaifer	Wollbach.	ruftica	42
Margar. Hornung	Würzburg	ancilla	40
MargarethaRöfsner	Burkardroth	ancilla	24
Margaretha Roh	Kimmelsbach	ancilla	44

MENSE

Apollonia Schmitt	Würzburg	militis uxor	48
Anna Weber	Würzburg	ancilla	27
Margar. Heiffenauer	Arnftein	ancilla	28
Margaretha Maier	Gerolzhofen	ancilla	18
Margar, Lehritter	Dückelhaufen	ancilla	29
MargarethaRöfsner	Burkardroth	ancilla	24
Margaretha Roh	Kimmelsbach	ancilla	44
Margaretha Halbich	Oberpreppach	ancilla	57
Urfula Wiener	Buch	ancilla	26

AUGUSTO.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimissionis	Eventus curae
Hyſteria	10 Auguſti	28 Auguſti	Sanata
Scrofulae	13 Auguſti		
Febris hectica	14 Auguſti	30 Auguſti	Mortua
Vomitus chronicus	16 Auguſti		
Convulſ. muſcul. faciei c. brachii ſiniſtri pareſi	24 Auguſti	30 Auguſti	Sanata
Rheumatiſmus	17 Auguſti	31 Auguſti	Sanata
Rheumatiſmus	28 Auguſti		
Pleuritis rheumatica	30 Auguſti		

SEPTEMBRE.

Arthritis cum febre lenta	2 Iulii	15 Septem	Mortua
Vomitus chronicus cum febre lenta	3 Iulii		
Induratio glandulae thyreoideae	7 Auguſti		
Scrofulae	13 Auguſti	19 Septem	Palliative ſanata
Vomitus chronicus	16 Auguſti	10 Septem	Sanata
Rheumatiſmus	28 Auguſti	14 Septem	Sanata
Pleuritis rheumatica	30 Auguſti		
Phthiſis trachealis	3 Septem	19 Septem	Palliative ſanata
Haemoptyſis	6 Septem	14 Septem	Sanata

MENSE

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Marg. Zimmermann	Königshofen	ancilla	38
Isabella Schäfer	Würzburg	ancilla	33
Anna Jäger	Würzburg	ancilla	24
Eva Achtmann	Versbach	ancilla	20
Margar. Schneider	Karsbach	ancilla	24
Dorothea Rudolph	Obervolkach	ancilla	44
Margar. Kinzinger	Obervolkach	ancilla	45

MENSE

Anna Weber	Würzburg	ancilla	27
Margar. Hessenauer	Arnstein	ancilla	28
Margaretha Roh	Kimmelsbach	ancilla	44
Isabella Schäfer	Würzburg	ancilla	33
Margar. Schneider	Karsbach	ancilla	24
Dorothea Rudolph	Obervolkach	ancilla	44
Margar. Kinzinger	Obervolkach	ancilla	45
Catharina Lindwurm	Willanzheim	pomaria	50
Margaretha Frölich	Dettelbach	ancilla	26
Margaretha Hubert	Ebenhausen	ancilla	23

SEPTEMBRE.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimissionis	Eventus curae
Febris rheumatica	9 Septem	19 Septem	Sanata
Phthiſis pituitoſa	10 Septem		
Rheumatiſmus	18 Septem	24 Septem	Sanata
Febris nervoſa	18 Septem	25 Septem	Sanata
Amenorrhoea	29 Septem		
Rheumatiſmus	29 Septem		
Scirrhus uteri	29 Septem		

OCTOBRE.

Vomit. chron. cum feb. lenta ex vitio topico	3 Iulii		
Hyſteria ac Struma	7 Auguſti	20 Octob.	Palliative ſanata
Arthritis	30 Auguſti	30 Octob.	Sanata
Phthiſis	10 Septem	11 Octob.	Mortua
Suppreſſio menſium	29 Septem	6 Octob.	Sanata
Rheumatiſmus	29 Septem	6 Octob.	Sanata
Cancer uteri	29 Septem	2 Octob.	Dimiſſa
Iſchias	4 Octob.		
Herpes	4 Octob.	18 Octob.	Sanata
Metritis	12 Octob.	18 Octob.	Mortua

MENSE

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A.aetat.
Margaretha Nöth	Wafferlofen	ancilla	22
Urfula Krefs	Rottenfels	mercenarii uxor	23
Iuliana Reufs	Retzbach	ancilla	37
Elifabetha Schramm	Hafsfurth	ancilla	24
Magdalena Amann	Würzburg	ancilla	20
Margaretha Fifcher	Stetten	ancilla	37
Margaretha Fech	Lengfurth	rufltici filia	28
N. N.	N.	ancilla	26
Iuftina Teufel	Iphofen	ancilla	18
Barbara Härtling	Oberefsfeld	ancilla	33

MENSE

Anna Weber	Wûrzburg	ancilla	27
Catharina Lindwurm	Willanzheim	pomaria	50
Margaretha Nöth	Wafferlofen	ancilla	22
Urfula Krefs	Rottenfels	mercenarii uxor	23
Elifabetha Schramm	Hafsfurth	ancilla	24
Iuliana Reufs	Retzbach	ancilla	37
Magdalena Amann	Würzburg	ancilla	20

OCTOBRE.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimissionis	Eventus curae
Arthritis	15 Octob.		
Afcites	22 Octob.		
Leucorrhoea	24 Octob.		
Scabies	24 Octob.		
Amenorrhoea	28 Octob.		
Hyfteria	28 Octob.		
Amenorrhoea	28 Octob.		
Febris nervofa	28 Octob.		
Febris nervofa	29 Octob.		
Rheumatifmus	30 Octob,		

NOVEMBRE.


Vomit.chron. cum feb. lenta ex vitio topico	3 Iulii	18 Nov.	Palliative fanata
Ifchias	4 Octob.	30 Nov-	Sanata
Arthritis	15 Octob.	25 Nov.	Sanata
Afcites	22 Octob.		
Scabies	24 Octob.	30 Nov.	Sanata
Leucorrhoea	24 Octob.	26 Nov.	Palliative fanata
Amenorrhoea	28 Octob.	23 Nov.	Sanata

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Margaretha Fiſcher	Stetten	ancilla	37
Margaretha Fech	Lengfurth	ruſtici filia	28
N. N.	N.	ancilla	26
Iuſtina Teufel	Iphofen	ancilla	18
Barbara Härtling	Obereſsfeld	ancilla	33
Margaretha Krämer	Würzburg	ancilla	28
Barbara Spenkuch	Groſsenlangheim	ancilla	21
Anna Schwenzinger	Oberſinn	ruſtici filia	22
Barbara Clement	Heidenfeld	ancilla	22
Barbara Baumann	Euſsenheim	ancilla	28
Eliſabetha Müller	Haſsfurth	ancilla	40
Urſula Reif	Zell	ancilla	19
Anna Froſt	Gerlachsheim	ancilla	43
Eliſabetha Kuhn	Marbach	ancilla	42
Margaretha Geiger	Riedheim	herbaria	48

NOVEMBRE.

Morbus	Dies Receptionis	Dies Dimiſsionis	Eventus curae
Hyſteria	28 Octob.	22 Nov.	Sanata
Amenorrhoea	28 Octob.	30 Nov.	Sanata
Febris nervoſa	28 Octob.		
Febris nervoſa	29 Octob.	13 Nov.	Sanata
Rheumatiſmus	30 Octob.	7 Nov.	Sanata
Adfectiones hyſtericae	3 Novemb.	17 Nov.	Sanata
Menſium retentio	7 Novemb.		
Phthiſis	10 Nov.		
Scabies	11 Nov.		
Arthritis cum vomitu chronico	14 Nov.		
Arthritis	17 Nov.	27 Nov.	Sanata
Febris nervoſa	21 Nov.		
Amenorrhoea	22 Nov.		
Icterus	26 Nov.		
Phthiſis tuberculoſa	27 Nov.		

Nomen	Locus natalis	Vitae genus	A. aetat.
Urſula Kreſs	Rottenfels	mercenarii uxor	23
N. N.	N.	ancilla	26
Barbara Spenkuch	Groſsenlangheim	ancilla	21
Anna Schwenzinger	Oberſinn	ruſtici filia	22
Barbara Clement	Heidenfeld	ancilla	22
Barbara Baumann	Euſsenheim	ancilla	38
Urſula Reiſ	Zell	ancilla	19
Anna Froſt	Gerlachsheim	ancilla	43
Eliſabetha Kuhn	Marbach	ancilla	42
Margaretha Geiger	Riedheim	herbaria	48
Chriſtiana Hirſchel	Regensburg	ancilla	21
Margaretha Braun	Arnſtein	nuntia	72
Eliſabetha Krämer	Markbreit	ancilla	28
Dorothea Klüpfel	Schwanfeld	ancilla	44
Barbara Neugebauer	Wülfershauſen	ancilla	29



Stumpf sc. Würzb


e
h

